Gt
14
434

Gt 14.434



BOUGHT WITH
THE INCOME FROM
THE GIFT OF
STEPHEN SALISBURY,
OF WORCESTER, MASS.
(Class of 1817).

14 Sept., 1885.

4755

THEOCRITUS THEOCRITEUS

SIVE

IDYLLIORUM THEOCRITI SUSPECTORUM VINDICIAE.

QUAS

AMPLISSIMI ORDINIS PHILOSOPHORUM AUCTORITATE

PRO

SUMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBUS OBTINENDIS

DIE XVI. AUG. A. MDCCCXXVIII

PUBLICE DEFENDET

AUGUSTINUS WISSOWA,
GYMNASII REG. CATHOL. VRATISLAV. COLLEGA.

VRATISLAVIAE,
APUD JOSEPHUM MAX ET SOC.
MDCCCXXVIII.

Gt 14.434

SEP 14 1885
Salisbury Fund.

Theses.

I.

Ex eo, quod Graeci Deos quoque Fato cuidam subjectos esse tradebant, colligi potest, ipsorum animis alte insedisse unius numinis divini notionem quamvis obscuratam.

II.

Habet logices studium, quo se Gymnasiis etiam commendet.

III.

Egregie errant, qui cum Fr. Schlegelio Moschum et Theocritum ejusdem hominis nomina, Bionem autem illo antiquiorem fuisse contendant.

IV.

Praemia bonis, malis poenas post mortem instare, illud primum e mysteriorum Graecorum doctrina in vulgus dimanavit.

Gt 14.434

SEP 14 1885
Salisbury Fund.

Theses.

I.

Ex eo, quod Graeci Deos quoque Fato cuidam subjectos esse tradebant, colligi potest, ipsorum animis alte insedisse unius numinis divini notionem quamvis obscuratam.

II.

Habet logices studium, quo se Gymnasiis etiam commendet.

III.

Egregie errant, qui cum Fr. Schlegelio Moschum et Theocritum ejusdem hominis nomina, Bionem autem illo antiquiorem fuisse contendant.

IV.

Praemia bonis, malis poenas post mortem instare, illud primum e mysteriorum Graecorum doctrina in vulgus dimanavit.

V.

Orestis *ἀναγνωρισμὸν* in Aeschyli Choeph. cavillari non debebat Euripides.

VI.

Sophocles, abjecta Fati notione antiquiore, Jovem omnium rerum humanarum moderatorem esse voluit et a monotheismo omnino quam proxime abest.

VII.

Cautio magna adhibenda est historicorum Romanorum de rerum auctoribus deque rebus gestis judicio, quippe quod partium studio saepe sit turbatum.

VIII.

Aeschyli Choeph. 30 — 34 praeter transpositionem verborum *τοροὺς γὰρ ὀρθόδριξ φόβος* nihil in vulgata lectione mutandum est.

V i t a.

Natus ego sum Vratislaviae, anno superioris saeculi XCVII, sexto Idus Maj. parentibus tenuissimae sortis. — Anno aetatis duodecimo frequentare coepi Gymnasium hujus urbis, quod, a Jesuitis conditum, cum Universitate Leopoldina tum conjunctum erat, sed biennio post, quasi fataliter, sedem illius Ordinis Sacri occupavit, qui Jesuitis primus jus hospitii praestiterat. Praeceptorum, quorum institutione uti contigit, praeter Rectorem, qui merita annis aequavit, unus tantum scholae etiamnum operam impendit; reliquorum alii sedem mutarunt, e quibus plurimum me debere gratus profiteor Joanni Kabath, Viro Reverendissimo, quem scholis Catholicorum per Silesiam administrandis nuper elegit Regis Sapientissimi providentia; et Franc. Nicolao Klein, nunc Gymnasii Confluentini Directori meritissimo; nec non Augustino Kaluza, apud Nassidlenses nunc Parocho, qui pueritiam meam amore vere paterno moderatus est. Alios praeceptorum meorum morte ablatos doleo, inprimis Joannem Wiechota, et docendi peritia et disciplinae justa severitate pariter conspicuuum. Superato post septennium examine primus e Gymnasio nostro cum primae notae testimonio anno MDCCCXVI inter Universitatis, quae in hac urbe laetissime floret, cives receptus ad philologiae studium incumbere coepi.

Per quattuor igitur annos interfui Virorum Doctissimorum et Illustrissimorum lectionibus, Wachleri, historiam docentis, Passovii et Schneideri, Graecorum et Romanorum scripta, nec non historiam literariam eorum, doctrinam etiam metricam et antiquitates explicantium, Brandesii, mathesin tradentis, Kayssleri denique, *τοῦ Μακαρίτου* de philosophia disputantis. Maximo autem cum fructu per annum et dimidium Seminarii philologici exercitationibus interfui; nec dicere possum, quantum ibi jucunditatis vel e studiorum genere et Virorum Clarissimorum, qui Seminario praesunt, eruditione et humanitate insigni, vel e commilitonum amicissimorum, nunc doctrinae laude florentissimorum consortio suavissimo ceperim. Maximopere autem laetor, jam mihi copiam factam esse, Passovio, V. Cl. gratias, quantas possum maximas, hic publice agendi. Ille enim non solum liberalitate eximia egestatem meam adlevavit, sed etiam animum afflictum erexit, studiorum cursum privatis consiliis est moderatus et ad optima quaeque suasor et hortator exstitit. Ejusdem auctoritate initio anni MDCCCXX a Summo Consilio, quod rebus scholasticis per provinciam nostram praeest, petivi, ut ad examen subeundum admitterer; in quo quum essem probatus, evenit, ut F. N. Klein ad Directoris, quod supra memoravi, munus suscipiendum avocaretur. Hujus in locum ego successi, receptis in me lectionibus ejus omnibus; et exinde ad idem Gymnasium, quod me puerum educavit, adolescentem excoluit, per novem jam virilis aetatis annos omnem meam operam contuli. Primo hujus officii anno interfui etiam, Seminario poedagogico extra ordinem adscriptus, Kayssleri de puerorum institutione et literarum tractandarum ratione disputationibus; ejusdem in Gymnasio Fridericiano regendo sollertiam et industriam non sine magno meo fructu antea jam expertus eram, quum in illo ludo literario scholas aliquas per annum fere haberem.

Ingens autem et deploranda Gymnasii, cujus collega sum, frequentia quum effecisset, ut superiores ordines in coetus sese excipientes distribuerentur, quumque hac re sane utilissima numerus lectionum a quovis magistrorum habendus dimidia fere parte auctus esset: omne fere otii tempus, quod privatis studiis consecrare possem, mihi praereptum vidi; praesertim quum et bibliothecae administrandae et rationum conficiendarum onus mihi esset injunctum. Hoc demum anno Collegii, quod scholas administrat, cura sublevati sumus. Statim igitur animum ad conscribendam hanc qualemcunque dissertatiunculam appuli, qua, si fieri posset, aditum ad summos quosque in philosophia honores mihi patefacerem. Hoc enim semper in votis fuerat; et verebar etiam, ne, quum operam discipulorum ingenti numero dicatam scholae tenebrae abscondant, librorum autem conscriptorum titulos nundinarum frequentia celebret, ingenii et industriae culpae potuis quam iniquae rerum conditioni tribueretur nominis obscuritas.

Non autem possum, quin hic etiam grato animo recorder memoriam Viri, olim Reverendissimi et Illustrissimi, Josephi Sckeyde, cum de tota re Catholicorum per Silesiam scholastica, tum de me meritissimi. Is enim, quae rat ingenii bonitate eximia, et quod in me nescio quid animadvertisse sibi videbatur, quod spem aliquam bonam suscitaret, et publice ut pecunia adjuvarer, curavit, et, absoluto studiorum curriculo, Collegio Scholastico me commendavit; Gymnasio idem me nostro non sine negotio vindicavit et ad mortem usque praematuram fautor et patronus permansit. Si quid est, quod doleam, tam cito perituras esse has chartas, illud profecto est, quod non valeo exigere monumentum aere perennius viri, cujus tumulum nunc vix a plebe dignoscas.

Introductio.

§. 1.

Non immerito Wyttenbachius viginti fere abhinc annis coram Niemeyero, in Bataviam profecto [1]), conquestus est de eo artis criticae usu vel potius abusu, quo indies plura veterum scripta e genuinorum numero et canone eximerentur. Nihil sane est veri indagatione et cognitione antiquius, gratesque habendae sunt viris illis, qui insigni acumine adjuti vana, sed consuetudine perpetua recepta opinionum commenta delere audent. In literarum enim studio nihil est, quod antiquitate sanciatur, sed vetustissimos quoque errores nunquam non licet exstirpari. Procul etiam absit ab ingeniis nostris inertia illa, quae spinosam disquisitionem fugiens in iis acquiescat, quae antiquitus sint tradita. Sed improbandum, immo haud raro ridendum est eorum ineptum acumen, qui aut laudum magnis viris tributarum invidia agitati, suique fiducia obcoecati, quae sana sunt, stolide attrectant; aut perversis opinionibus praeoccupati singularia et inaudita cupide sectantur. Sicuti enim nihil ideo probandum est, quod est inveteratum, ita neque abrogat fidem vetustas; neque omnino ea mente eoque consilio quaestio est instituenda, ut novum, sed ut verum inveniamus.

Sed ne noxa quidem caret haec dubitandi libido. Etenim si omnes, qui veterum scripta lectitant, de argumentis, quibus eorum integritas aut asseritur aut impugnatur, sententiam ferre pariter essent idonei, temporis saltem in lite iterum iterumque retractanda positi jactura dolenda esset. Sed huic causae agendae non raro impares sunt ii, qui alienis negotiis distenti animi tantum causa legendis veterum scriptis otii tempus impendunt, quibusque in loca recondita doctrinae descendere nec vacat nec lubet. Hi, ut sunt homines, non solum illa lectione minus delectantur, si, sint genuina illa scripta nec ne, dubitari vident, sed in integris etiam suspiciones iis eo saepius subnascuntur, quo magis ejusmodi judicia novi dulcedine pellicere

1) Ej. Reisen III. p. 155.

solent. Quae quum ita sint, operae pretium facturus videtur, si quis iniqua judicia rescindere, maleque addubitatis fidem reddere conabitur.

§. 2.

Continuatio.

In nullum fere ex antiquis scriptoribus gravius saevitum est, quam in Theocritum. Dimidia enim parte truncatum eum volunt, et quum triginta tantum poemata (si epigrammata exceperis) sub ejus nomine circumferantur, quindecim, vel plura etiam damnare ausi sunt. Adeo accuratam et perfectam poetae notitiam ex paucissimis carminibus ceperunt.

Saeculo jam decimo sexto nonnullos videmus de integritate carminum Theocriteorum dubitasse, H. Stephanum dico et Camerarium; sed longe plurima recentiori demum aevo proscribi coepta sunt, viamque praeivere Dan. Heinsius [1]), Wartonus, Reiskius [2]), quos secuti sunt Brunckius [3]), Beckius [4]), Eichstadius [5]), alii; nec defuit severis his judicibus gravissimum Valkenarii [6]) suffragium. Agmen claudit Reinholdus, qui singulari libello de suppositiciis Theocriti carminibus disputavit. En cohortem et numero et nominum celebritate terribilem! Nihilo tamen secius ingens carminum damnatorum numerus, et argumentorum, quibus sententiam suam fulcire conati sunt illi viri, natura et ratio, judicia etiam eorum non raro sibi repugnantia effecerant, ut in eorum castra transire etiam atque etiam cunctarer. Sed nescius, an quemquam habiturus essem de omnium carminum integritate mecum consentientem et pro vexatis carminibus propugnantem, meis ipse diffidebam viribus, quamquam nonnullis idylliis a viris eruditionis et ingenii laude florentissimis patrocinium ferri, quinimmo pro carmine Theocriti XVI. acriter decertantem videbam illum virum clarissimum [7]), cui, de me optime merito, quidquid in literis antiquis unquam praestitero, acceptum referam, Passovium.

In hac dubitatione mirifice me confirmavit Spohnii, viri literarum ingenti detrimento praematura morte abrepti judi-

---

1) Lectiones Theocriteae. 2) In editt. Theocr. 3) Anall. vett. poett. 4) Observatt. critico-exegeticae. 5) Adumbratio quaestionis de carminum Theocriteorum ad genera sua revocatorum indole ac virtutibus. 6) In editt. et in ep. ad Roeverum. 7) Bibl. crit. Hildes. 1821. I. p. 86.

cium [1]), qui ridendos esse dicat omnino, qui hucusque de dubia origine quorundam carminum Theocriti verba fecerint. Arma igitur alacriter arripio et Theocriti vindex atque defensor in campum descendo. Res autem ita videtur a me esse instituenda, ut primo loco carmina, quae Theocriti dicuntur, omnia ipsi vindicare studeam, deinde argumenta ab adversariis prolata confutem. Et in hac quidem altera parte ea tantum examinabimus, quae e singulorum carminum argumento et ratione petita ipsorum spuriam originem prodere visa sunt; molestam enim ut evitemus earundem rerum repetitionem, huic posteriori dissertationis parti accuratiorem disquisitionem de idyllii notione cum argumentorum, quibus ex eadem notione haustis usi sunt adversarii, confutatione conjunctam praemittere liceat.

I.

Genuina esse Theocriti carmina ostenditur.

§. 1.

De codicum in his rebus auctoritate.

Veterum scriptorum auctores vel ex titulis cognoscimus, quos vetusti codices in fronte exhibent, vel ex testimoniis aliorum scriptorum, qui librorum illorum inscriptionem cum auctoris nomine commemorent, aut etiam locos ex iis decerptos proferant.

Facile quidem concedam, erroribus in hac re locum esse datum. Ut enim *ψευδωνύμους* taceam, quorum nostra aetas multos fert, antiquitas, quantum equidem scio, nullum, aut oscitantia librariorum, aut sciolorum vana jactantia, immo maligna etiam praestigiatorum fraudulentia codicibus nonnunquam falsa fictaque auctorum nomina praefixit. Memoriae etiam lapsu aut inerti incuria factum est, ut sequioris temporis lexicographi, scholiastae, aliique in auctoris, cui deberentur loci ab iis prolati, nomine laudando errarent. Verum ut haec aliquoties iis accidisse non negamus, ita nobis concedant, sive e

1) Lectiones Theocriteae, spec. I. p. 7. 8.

codicum melioris notae discrepantia, sive aliorum testium auctoritate, sive ex ipsius libri locive laudati argumento et natura errores illos facile plerumque corrigi posse.

Ut igitur ad Theocritum nos jam convertamus, in limine statim quaestionis monendum est, singula quaeque idyllia codicum aliquot fide et auctoritate ipsi vindicari, nec ullum esse, quod aut incerto aut alii auctori in vetustis libris tribuatur.

§. 2.

Respondetur ad ea, quae Theocriti codicibus fidem detrahere videntur.

Sed haud exigua difficultas inde nascitur, quod alii codices Theocriti alia carmina, plura, pauciora continent; sunt enim, qui quattuor, sunt qui novem, sunt qui duodeviginti carmina exhibeant.

Accedit, quod in nonnullis libris manuscriptis quinque illis majoribus carminibus, quae nunc Bioni aut Moscho recte vindicantur, Theocriti nomen inditum videmus. Quid? quod technopaegnia quaedam sive carmina figurata, quae syringis, alae, securis, arae speciem prae se ferunt, poetae nostro obtruduntur. Quae quum ita sint, verendum est, ne quis contendat, ut sint aliena carmina Theocriteis aperte interposita, ita adhuc alia spuria delitescere posse, quae nunc demum sint Theocrito abjudicanda; neve codicum varia ratione et ambitu ipsorum fidem infringi sibi persuadeat.

Verum enim vero, ut ad posteriorem locum prius respondeam, facile intelligitur, qui factum sit, ut codices et numero et ordine carminum dissentiant. Singula scilicet seorsum edita sunt Theocriti idyllia, non libro, non volumine comprehensa, id quod diserte nititur Artemidori grammatici testimonio, cujus epigramma *ἐπὶ τῇ ἀθροίσει τῶν βουκολικῶν ποιημάτων*, e codice Vaticano petitum, epigrammatis Theocriti coronidis loco in recentioribus editionibus adjectum legimus. Sed idem ex ipsis etiam idylliis aperte patet. Quaequae enim a veteribus conjunctim edita sunt carmina, iis praefixos videmus versus aliquot, qui praefarentur libello, aut carminum rationem et consilium illustrantes, aut patrono cuiquam ea dedicantes. In idylliorum collectione quum frustra talem quaeras praefationem, vel ex hac ipsa re intelliges, ea non fuisse ab auctore collecta et in unum quasi corpus digesta. Quid igitur mirum, quod ab aliis aliam collectionem carminum, alioque, immo

etiam haud raro nullo consilio institutam esse videmus, praesertim quum tam diversa esset carminum ratio et indoles? Artemidorus certe non omnium idylliorum Theocriti sed bucolicorum tantum collectionem ipsius aetate factam esse ostendit. Ordinem etiam, quo se excipiant in codicibus idyllia, in aliis alium esse nemo mirabitur amplius. Et eandem codicum inconstantiam in aliis etiam scriptoribus reperimus, praesertim in comicis et tragicis poetis.

Alterum, quo codicum auctoritas infringi videtur, speciosius quam verius est, Tantum enim abest, ut omnibus in codicibus Theocriti quinque illa insint carmina, quae Bioni et Moscho nunc restituta sunt [1]), ut in singulis quibusdam singula tantum reperiantur, a plerisque plane absint, in nonnullis etiam genuinis auctoribus vindicentur [2]). Facile etiam intelligitur, qui factum sit, ut illorum quidem carmina in Theocritea irrepere potuerint. Veri enim simillimum est, trium, qui ferebantur, Bucolicorum carmina, qua erant tum argumenti tum tractationis maxime similitudine, haud raro fuisse ab hujus poeseos cupidis uno volumine conjuncta, auctorum nominibus plane neglectis; deinde autem ad unum auctorem, cui plurima deberentur, omnia ejusdem voluminis carmina esse relata. Ita certe apparet, cur non dubitatur, utrum carmen aliquod Bioni an Moscho, sed tantum, alterutrine an Theocrito debeatur.

De reliquis quidem triginta carminibus in codicibus nulla reperitur dubitatio; omnes, quotquot exstant, Theocrito ea vindicant, neque in ipsis idylliis loci obveniunt, qui nos de alio auctore cogitare jubeant cogantque. Technopaegnia vero illa, quae antiquis Theocriti editionibus assuta videmus, ad Simmiam et Dosiadam non ad Theocritum referunt codices plerique, Fistulam tantum huic poetae tribuentes.

Illorum autem opinioni, qui Theocriti codices interpolatos esse contendant, ideo nihil tribuendum puto, quia illi, hoc ut

---

1) Bionis de morte Adonidis carmen, Moschi Amor fugitivus, Europa, Megara et de Bionis morte naenia. 2) Europam et Megaram Moscho tribuunt multi codd. cf. Fabricii Bibl. gr. III. 806. 7. Amorem fugitivum ei vindicat certe Stobaeus Flor. p. 391. 92. Gesn. De ἐπιταφίου Βίωνος auctore dubitat saltem cod. Vindob LXI, Moschi an Theocriti sit. Theocrito abjudicat v. 100, quo illi se ipsum opponit auctor carminis; de tollendo enim post nomen Θεόκριτος colo nemo amplius cogitabit, sive genuini sive Musuri sunt versus praecedentes. Quin Musuri sint, etiam ante Naekium (prolus. ad catal. lectt. aestiv. 1828) non dubitavi.

evincant, principii, quam dicunt logici, petitionem sibi indulserunt. Equidem non video, cur his codicibus fides sit detrahenda, quum et facile intelligatur, unde eorum in numero et ordine carminum discrepantia orta sit, et reliquorum Bucolicorum carmina, Theocriteis interposita, praeter unum omnia ipsorum auctoritate genuinis auctoribus restituantur, quumque pateat, quid erroribus ansam praebuerit [1]).

Non minorem certe codicibus illis auctoritatem concedamus, quam libris illis antiquis, qui Euripidis, Pindari, Platonis, aliorum, plura pauciorave opera complectuntur.

§. 3.

De testimoniis aliorum.

At negari nequit, suspicionibus obnoxiam esse codicum rationem eam, quam in Theocrito obtinere vidimus. Etenim si cuncta scriptoris opera certo quodam vinculo inter se conjuncta omnibus in libris manuscriptis leguntur, invicem singula se tuentur ac defendunt: Theocriteorum autem carminum, praesertim eorum, quae non sunt argumenti bucolici, ea est ratio, ut singula singulis sententiis aut suspicione exsolvenda aut damnanda videantur. Itaque codibus opitulandum est excitandis aliorum testimoniis. Horum testimoniorum plura sunt genera. Operum enim, de quibus agimus, γνησιότητα primum confirmant loci, qui tanquam ex illis decerpti laudantur a lexicographis, grammaticis, commentatoribus; quorum in libris si locos nullos, nedum integra opuscula aliis auctoribus tribui videmus, non mediocriter augetur fides codicum; est praeterea tertium testimoniorum genus, sed quod ex parte tantum ad rem nostram aptum sit. Namque si verba locosque ab istis compilatoribus e certo aliquo scriptoris opusculo laudata frustra in eo superstite quaesiveris, hoc tum demum

1) De morte Adonidis naeniam codd. omnes Theocrito tribuunt; recte tamen vel invitis illis eam ad Bionem transtulerunt; hoc enim non solum e versss. 69. 70. in Moschi de Bionis morte carmine patet, quippe qui aperte alludant ad v. 12 in Bionis Adonide (osculum enim, quod fixisse Adonidi Venus dicitur l. l. illud est, quod descripsit Bion in naenia) sed praecipue e Moschi v. 16, quem immerito Heskinus, Brunckius, Manso spurium judicarunt; neque magis post eum cum Valkenario versus omissus putandus est. Χείλεσι non ad ripas fluminis sed ad labia cygnorum referendum, locusque ita vertendus est: O Cygni, talem incipite naeniam, qualem ille (Bion) labiis vestris i. e. venustate et arte vestra, ceciuit.

damnare licebit, quum videris, ne aut grammaticus ipse hariolatus sit, aut librarius sit erroris arguendus, aut denique perierit pars operis suspecti. Fortasse etiam librum suum retractaverat auctor, ut locus laudatus a grammatico ex altera tractatione desumtus, altera superstes esse possit; id quod in tragicis comicisque poetis usu venit.

Haec si Theocrito adhibemus, primum quidem nullum reperimus a grammaticis locum laudari tanquam e certo aliquo idyllio desumtum, quin in eo legatur. Ad hoc enim genus referri nequit fragmentum e Berenice, carmine deperdito, quod servavit Athenaeus lib. VII. p. 284. A, neque Eustathius ignorat [1]).

Ceteroquin jure miraberis, tam rara esse Theocriti fragmenta, si reputaveris, quot carmina vel lacunis hiare, vel capite aut fine truncata esse videantur. Quid vero, quod Suidas [2]) plura carminum genera commemorat, quorum, si hymnos fortasse excipias, ne unus quidem versus hodieque exstat. Nisi decipi se passus est bonus Suidas, mature periisse putanda sunt ista carmina. Verum utut haec sint, hoc certe jam non dubium est, quin hoc quidem nomine Theocriteorum integritas impugnari non possit.

Non magis locos e Theocriti idylliis, quae nos legimus, me aliis auctoribus tributos invenisse memini. At nihil frequentius locis cum auctoris veri nomine laudatis. Hos singulos enumerare longum quidem est, sed quum hisce testimoniis mirifice confirmetur carminum fides, in fine hujus opusculi recensum adjeci scriptorum, qui locos Theocriteos adjecto auctoris nomine laudarunt.

Omnes autem, quotquot reperire mihi contigerit locos ut exhiberem, duo me appulerunt. Tum enim sperabam fore, ut

---

1) Nullius ad hanc rem momenti sunt loci e carmine non nominato laudati; de duobus ejusmodi locis, quos e Theocrito laudant alterum Schol. ad Aristoph. Acharnn. v. 218, alterum auctor Etym. M. p. 93. 20 vide Valkenarium Epist. ad Roever. p. 25 seqq. qui utrumque locum corruptum esse ostendit. At in eodem Etym. duae aliae exstant ῥήσεις, tanquam e Theocrito desumtae p. 290. 54 δυσὶν ἀντιφέρεσθαι et 437. 17 καὶ ἠρία κεκμηώτων; et illum quidem locum nescio quomodo abjudicem Theocrito; alter locus non dissimilis est illi idyll. II, 13. νεκύων ἀνά τ' ἠρία; memoriae tamen vacillanti non tribuerim, quum justum hexametrum claudant illa verba. Eustathius etiam p. 620. 29. (ed. Rom.) Theocritum tradit referre, Martis sororem esse Hebem, quem locum frustra quaesivi; sed Eustathii memoriae non magna fides habenda. 2) s. v. Θεόκριτος.

testimoniorum tam frequens cohors aliós ab impetu in Theocritum denuo faciendo deterreat, tum grates mihi habituros confidebam viros doctos, quos, si forte alium in finem opus illis esset ejusmodi indice, a conquirendi taedio liberassem. Quantumcumque vero in indice conficiendo et temporis et diligentiae collocavi, absolutum tamen non esse eum probe scio. Sed quis est, qui se in ejusmodi opello omnes numeros explesse jure glorietur? Quod index, quem ego exhibui, tam locuples et copiosus evasit, Passovii V. Cl. humanitate eximia nec unquam satis praedicanda factum est, qui non solum bibliotheca ipius praestantissima uti benevole mihi concessit, sed copias etiam diligentissime congestas in usum me meum convertere non invidit.

Jam ex illo indice patebit, e quattuor carminibus me nusquam invenisse locos laudatos, ex XX, XXIII, XXVIII et XXX; fateor etiam, alia esse carmina, quibus testimonia, quae eruere mihi contigerit, perexiguum adjumentum afferre videantur, XVII dico, cujus unus meminit Schol. ad Pind. Olymp. II. 83 et XXIX, quod solus agnoscit Athenaeus II. 37. E siquidem ille ad initium hujus carminis nec ad proverbium tritum et vulgatum respexit: Theocritum certe non nominavit.

At quale praeceptum hac in re sequendum sit, ex iis, quae supra disputavimus, dubium esse nequit. Quantum enim fidei accedit idylliis e boni scriptoris testimonio, tam parum fidei subtrahitur illis testium silentio. Multis enim de causis fieri potuit, ut aut silentio mitterent grammatici carmen aliquod quamvis genuinum, aut perirent eorum testimonia. Accedit, quod insigni quodam fortunae ludibrio vel potius beneficio nonnulla carmina, quae testium carent auxilio, ipsorum natura et argumento defenduntur. Certe de carmine XXVIII nemo dubitare ausus est; de XXIII unus fere Reinholdus; hoc enim et XX quodammodo tuetur argumentum, in quo versantur, bucolicum; illud autem nec non XVII ex ipsa Theocriti vita petita sunt; in his igitur minus aegre testimoniis caremus, aegrius in XXIX et XXX. Non multum etiam timendum videtur vicesimo primo, licet unus Draco illud laudaverit, et omisso auctoris nomine.

Reliqua autem carmina, quae suspicionem moverunt ad indolem eorum spectantibus, quaeque igitur tutela ista quam maxime indigent, ea tantum non omnia plurium pauciorumve testium auxilio defenduntur. Non dico XXVI et XXVII, utrumque Eustathii, hoc fortasse Stobaei etiam auctoritate tu-

tum [1]); mitto etiam XVIII et XIX; illud enim cum Schol. ad Pind. Isth. II, hoc cum Stobaeo, tituli etiam haud ignaro tuetur Draco Stratonicensis. Sed *Αἴτην* praeter Julianum, quem laudat Toupius, Eustathium et Stobaeum etiam Athenaeus agnoscit nec non Schol. ad Aristophanis Acharnenses (v. 753). Vicesimum quintum, in quo tot tantique viri offenderunt, ter laudat Draco Straton. [2]); XXII autem et XXV permultos invenerunt, qui fidem eorum assererent [3]). De reliquis idylliis suspectis sed non graviter periclitantibus ad indiculum lectores ablegare satius erit. Superest autem, ut de testium ipsorum fide et auctoritate disseram, quam a multis labefactari videmus. Quae autem objurgari Stobaeo, Etymologii auctori, Eustathio videmus, ea ad duo potissimum genera revocari possunt; fidem enim detrahunt illis vel quod carmina aliqua Bionis et Moschi Theocrito tribuerunt, vel quod ipsorum testimonia cum carminum natura et indole pugnare videntur. Atque illud quidem negari nequit, sed intra quos fines subsistat error ille, et unde ortus videatur, in superioribus a nobis expositum est. Quae enim de codd. diximus, eadem etiam ad grammaticos referri possunt; quo facile intelligitur, quam parum illi argumento tribuendum sit. Hoc alterum autem, e natura carminum petitum, ad posteriorem disputationis partem quam maxime pertinet; in qua si evicero, nihil inesse in ipsis idylliis, quod alium suadeat auctorem, sponte restituetur grammaticorum addubitata fides. Unum illud adjiciam, grammaticorum plerorumque vel etiam omnium de nonnullis carminibus silentium eo commode explicari, quod idyllia ista nihil haberent proprium et peculiare, in quo interpretando versari potuisset commentatorum diligentia et eruditio.

---

1) Versus 5. h. c. legitur quidem etiam id. III. 20, sed Valkenario jam fere oredo, e XXVII idyllio eum petitum esse docenti Ep. ad Roev. p. 26 et 27. 2) Draco aut inverso ordine idyllia legisse in suo codice aut pauciora in eo reperisse putandus est; quod enim est vulgo XXV, hoc ille XXII (cum editione Romana) dixit; Laudavit ille ex 18 idyll. locos; sed plura ei fuisse lecta, numerus hujus idyllii indicat; assentit Draco nostris numeris in carmm. I. II. VII. VIII. XIV. XVI. Quid igitur, si XVII, XX et XXIII, quae reliquis etiam grammaticis fere intacta sunt, in codice suo Draconem non legisse putemus? Ex accurata codd. omnium descriptione, qua aegre caremus, haec mea suspicio aut confirmari aut refutari posset. 3) Joannem Diaconum, quum hujus carm. versu primo insistens, Herculem post decem demum menses genitum esse dicat, graviter perstringit Heinsius (Lectt. Theocr.) nec injuria, siquidem huc respexit. Quid vero, si Moschi IV. 84. potius in mente habuit Joannes? Certo hoc carmen Theocrito asseritur in codd.

II.

Carmina Theocritea contra virorum doctorum judicia defenduntur.

A.

De nomine εἰδύλλιον.

§. 1.

Origo et vis vocabuli.

Jam igitur permirum cuique videbitur, tot carmina Theocritea à viris doctis damnari, quamvis et codicum auctoritate et testium auxilio defensa. Scilicet internas causas illi praetexunt, e carminum indole et argumento petitas. Videndum igitur est, quid sit idyllium et utrum ad triginta illa carmina hoc nomen pertineat necne; poeseos etiam, quae Theocriti tempore obtinuit, universae rationem et naturam considerabimus, non neglecto illius saeculi genio. Liceat autem in indaganda nominis illius vi et potestate ab etymologiis proficisci, quas grammatici proposuerunt veteres; quibus examinatis taxatisque si veram vocabuli notionem eruere contigerit, eam ad illa carmina, quasi ad obrussam, adhibebimus et exigemus, quibus idylliorum nomen a Graecis et Romanis poetis inditum legimus, ne norma arbitraria aut certe popularibus nostris tantum usitata idyllia metiri coarguamur; in quam reprehensionem plerique cultiorum gentium critici incurrerunt [1]).

In prolegomenis Graecis ad Theocritum haec leguntur: *Θεοκρίτου Εἰδύλλια βουκολικά· ἰστέον ὅτι Εἰδύλλιον λέγεται τὸ μικρὸν ποίημα, ἀπὸ τοῦ εἶδος, ἡ θεωρία, οὐκ Εἰδύλλιον παρὰ τὸ εἶδω, τὸ εὐφραίνω.*

In his verbis vitium inest; scribendum enim *οὐχ Ἠδύλλιον παρὰ τὸ ἥδω, τὸ εὐφραίνω* [2]), id quod totius loci ratio

1) Cf. Herder Fragmente zur Deutschen Litt. Collect. altera IV. 5.
2) Formam ἥδω Pseudo-Aeschines habet in Axiocho, ut seriores taceam; nam Etym. M. quinquies habet illam, bis explicans per εὐφραίνομαι p. 420, 21. 433, 13. ter rectius per εὐφραίνω 18, 11, 44. 19, 10.

aperte suadet et confirmant codd. Taurin. et Colbert. ex quibus οὐκ ἡδύλλιον (sic) παρὰ τὸ ἥδω, τὸ εὐφραίνομαι laudat Gaisford in Poett. Gr. minn. — Etym. M. [1]) etiam formam ἡδύλλιον agnoscit.

En tibi duplicem vocabuli etymologiam, alteram ab εἶδος, alteram ab ἥδω derivatam. Sed redeamus ad scholion illud. Articulus in verbis τὸ μικρὸν ποίημα manifestum reddit, auctorem scholii non, quid sit idyllium docere voluisse, sed potius, tale poema idyllium non hedyllium dicendum esse; idyllium autem vocari τὸ μικρὸν ποίημα i. e. quodvis minoris formae carmen [2]).

Verum tertiam etymologiam proponit scholion quoddam e cod. Vatic. II apud Gaisford; originem vocabuli εἰδύλλιον ab εἶδω, τὸ ὁμοιῶ repetens, quam verbi significationem nec Etym. M. ignorat [3]). Jam igitur de nominis veriloquio quaeramus. Et quominus a verbo ἥδω nominis originem ducamus, obstare videtur et usus et analogia; codicum enim et grammaticorum plerique alteram formam praebent, neque quomodo ab ἥδω fieri potuerit ἡδύλλιον intelligitur.

Minus etiam probatur altera etymologia ab εἶδω τὸ ὁμοιῶ deducta; non solum enim analogiae et ipsa repugnat, sed etiam verbi εἶδω significationem, quam ei tribuit auctor scholii, boni scriptores prorsus ignorant, ut taceam formam εἶδω, barbaram illam et soloecam. Ferream sane aetatem, non Theocriteam, redolet ista explicatio. Tertia igitur superest etymologia, qua ab εἶδος esse εἰδύλλιον derivatum statuitur; quam amplecti meamque facere non dubito. In ea enim grammaticorum plerique conspirant; et formam vocabuli tuetur nomen ἐπύλλιον eodem modo ab ἔπος deductum; nam εἰδύλλιον etiam deminutivum esse non inde tantum patet, quod μικροῦ ποιήματος nomen esse scholion tradidit, sed etiam e proximis alterius cujusdam scholii verbis: ὑποκοριστικῶς λέγεται εἰδύλλιον. In eadem etymologia mecum consentiunt omnes, quotquot nostra aetate his de rebus quaesiverunt, praeter Reiskium [4]), qui ab adjectivo εἴδυλις, quod praebet Callimachi quoddam fragmentum in Etym. M. εἰδύλλιον factum esse sibi persuasit, dicens se suspicari:

---

1) 273, 41. 2) Junta et Camerarius Theocritum suum inscripserunt: Θ. εἰδύλλια, τοῦτ' ἐστὶ μικρὰ ποιήματα. 3) 471, 34.
4) In edit. Theocr. p. 145.

„vetustos commentatiunculam quamcunque scitam, ingenio„sam, et universe, quidquid artificiose, subtiliter, lepide seu „factum seu mente excogitatum seu calamo exaratum et verbis „conceptum esset, id omne εἰδύλλιον usurpasse.“

Sed Reiskio adstipulari non possum; offendit enim et nominis εἰδύλλιον ab adjectivo activo εἴδυλις derivati passiva significatio, et duplex λ, quo constanter nomen illud scribitur; mirum etiam esset, si tam late patuisset ejus ambitus, de carminibus tantum illud usurpatum inveniri.

Verum licet de nomine illo ab εἶδος derivando fere inter omnes convenerit, tamen dubitatur, quae sit vocabuli εἶδος vis et potestas. Statuunt autem plerique, εἰδύλλιον esse imagunculam, i. e. lepidam et venustam imitationem et descriptionem [1]) quum εἶδος imaginem significet. Sed vereor, ut recte. Neque enim equidem memini locorum, quibus obvia sit haec nominis significatio, quum alias speciem sonet; nec scio, cur haec potissimum carmina εἰδύλλια, „imagunculae“ dicta sint. Scilicet vitam pastoritiam imitantur! Hoc universe non concesserim; sunt enim in Theocriteis multa non sublestae fidei carmina, in quibus frustra talem picturam quaeras. At certe vividis coloribus depingunt hominum, praesertim tenuiorum, mores et ingenia [2]). Quasi vero non alii etiam poetae atque summus ille, Homerus, animos hominum ingeniose adumbraverint; neque tamen idyllia composuisse traduntur. Videndum igitur est, ne nostri homines, quam hujus aetatis poetae sibi informarunt idyllii notionem, eam ad antiquitatem retulerint sibique ipsi fraudem fecerint.

Redeamus igitur ad veterum explicationes. In scholio, quod supra proposuimus, εἶδος explicatur ἡ θεωρία; in alio, adjecto illi priori leguntur haec: *εἰδύλλιον λέγεται, ὅτι εἶδός ἐστιν ὁποῖόν ἐστι λόγος· ὑποκοριστικῶς λέγεται εἰδύλλιον.* Quomodo autem εἶδος esse possit ὁποῖον λόγος, intelligetur e Graeco primi idyllii argumento, quo quaeritur, cur Theocritus carmina sua non dialogos inscribere maluerit, quorum multa dialogi formam prae se ferant. Respondit enim auctor argumenti, quisquis ille fuit: *οὐκ ἤθελεν ὁ ποιητὴς θεῖναι ἀλλοίας καὶ ἀλλοίας ἐπιγραφάς, ἀλλὰ μίαν ἁρμόζουσαν πᾶσι τοῖς ποιήμασιν αὐτοῦ. Εἶδος γὰρ λόγου ἐστὶ καὶ τό διηγηματικόν, καὶ τὸ δραματικόν, καὶ τὸ μικτόν· καὶ διὰ τοῦτο ὑπεγράφησαν εἰδύλλια.* Adde

1) Cf. Schlegel, Vorlesungen über Litter. p. 87.
2) Jenisch, Vorles. über die Meisterwerke cet. II. p. 223.

locum e prolegg. τὸ βουκολικὸν ποίημα μίγμα ἐστὶ παντὸς εἴδους, καθάπερ συγκεκραμένον. Apparet, grammaticis illis εἶδος significare speciem, formam sermonis poetici, quo sensu Aristoteles dicit [1]) τραγῳδίας δὲ εἴδη εἰσὶ τέσσαρα.

Eodem redire videtur alterum scholion, quod εἶδος interpretatur θεωρία. Namque si θεωρία sensu translato eam rei cujuslibet formam significat, quam frequenti contemplatione naturae ipsius inhaerentem et necessariam cognovimus, pronum certe erat, formam quamlibet poeticam θεωρίαν dicere, quam vulgo Graeci εἶδος appellabant. Simili enim stirpe utrumque nomen prognatum esse bene intelligebant. Apte igitur Toupius Addend. in Theocr. p. 409 εἴδη Pindari cum nostri εἰδυλλίοις comparavit, licet e Pempeli Pythagoraei verbo εἰδύλλεσθαι nihil certi de hoc loco designari posse videatur. Ob metri et tractationis discrepantiam, puto, Pindari ἐπινίκια nomen illud invenerunt: a diversitate petitum esse nomen εἰδυλλίων testantur grammatici. Verum ut in carminum Theocriteorum titulis forma deminutivi praeferretur, hoc ambitune eorum plerumque minore, an poeseos omnino tenuitate, quippe a re publica et sensibus elatioribus alienae [2]) factum sit, equidem decernere non ausim.

Jam igitur eo rediit summa disputationis, ut εἰδυλλίου nomen istis carminibus ideo datum esse videatur, quod singula et argumenti et tractationis dissimilitudine singulas quasi species constituant [3]). Quod si verum est, nomen illud neque singulari cuidam poemati, neque collectioni carminum prorsus similium tribui licebit. Miscella enim carmina sunt εἰδύλλια; Latini Silvas dicunt [4]). Recte igitur Aldus in praefatione ad Theocritum dixit librum illum continere Theocriti XXX idyllia, seu opuscula, nec repugnabo Wernsdorfio [5]), qui Cassii Parmensis et Septimii Sereni opuscula deperdita etiam idyllia potuisse appellari contendat. Plinii etiam locus ille [6]) non praetermittendus est, quo dixit (de carminibus loquens) „sive epigrammata, sive idyllia sive, ut multi, poematia vocare volunt.“

1) Ars poet. 18, 1; et frequentissime Aristoteles utitur hoc vocabulo. 2) Ἐκπέφευγε δὲ (αὕτη ἡ ποίησις) καὶ τὸ ἄγαν ἀδρὸν καὶ ὑπέρογκον τῆς ποιήσεως. Vide Prolegg. 3) Ut hoc fieri potuisse ostendas, non inepte utaris alia ejusdem nominis εἶδος significatione; species enim odoratae, quas nostri homines desumto a Latinis nomine Specereien nuncupant, Graece εἴδη dictas esse docet Hemsterh. ad Plut. p. 320. 4) Forsitan Hesychium aliquis in auxilium vocabit docentem, Aeolenses εἴδας τὰς ὕλας dixisse; quod si idem εἰδύλλιον ab illo nomine εἴδη derivare velit, non mirabor neque tamen assentiar. 5) Praef. ad Poett. latin. min. Vol. II. 6) Epp. IV. 14.

§. 2.

Examinantur ea carmina, quae idyllia apellantur.

Jam quaeri potest, quo tempore *εἰδυλλίου* nomen inventum sit et cui debeat originem. Ante Theocritum non esse illud usurpatum satis constat; at neque Theocritus eo potuit uti, quippe quem singula seorsum edidisse carmina docuerim. Grammaticis igitur incertae aetatis nomen deberi Heynio credo. Quisquis autem fuit, qui primus eo est usus, illud certe non dubium est, quin variii generis opuscula nomine illo complexus sit. Tantum igitur abest, ut haec inscriptio carmina quaedam resecet et, quasi spuria, damnet, ut ex eodem potius nomine insigne periclitantibus adjumentum accedere videatur. Ceterum non repugnabo, si quis ex illis carminum generibus, in quibus Theocritum, teste Suida, elaborasse supra monuimus, nonnulla prae ceteris lectitata cum bucolicis ejusdem in hoc *εἰδυλλίων* corpus coaluisse statuat. De hymnis saltem mihi fere persuasum est.

Theocritum autem si exceperis, paucissimi sunt, quos idyllia composuisse comperimus. Graecorum enim praeter Bionem et Moschum novi neminem, nisi Meleagrum, cujus Laus Veris idyllii nomen in fronte gerit. Lycidam enim, Philetam et Asclepiadem tanquam bucolicos poetas, Musurus non Moschus laudavit. Et Philetam atque Asclepiadem longe alio carminum genere inclaruisse constat; Lycidam ad larvas ire jubebimus. E Romanis Ausonius et Claudianus idyllia scripserunt; Suevii idyllium, Moretum, Macrobius [1]) tantum laudavit. Virgilii, Calpurnii et Nemesiani bucolica huc non pertinere, quivis sponte intelligit.

Bionis et Moschi carmina minime adversantur idyllii, quam supra proposuimus, notioni. At qui potuit Meleagri carmen idylliis accenseri, quod unum esset nec e collectione aliqua decerptum? Facile est, his difficultatibus extricari. Etenim si carminis inscriptio vetusta esset et ab auctoris manu profecta, repeti ea posset a similitudine eximia, quae intercedat huic opusculo cum Bionis idyllio VI., quod imitans Meleager nomen etiam mutuari potuisset. Sed vix credibile est, genuinam esse inscriptionem, quam ad ea tempora detrudendam puto, quibus nominis *εἰδύλλιον* significatio jam mutata esset. Sed de hac notionis mutatione infra videbimus.

De Suevii Moreto nihil certi ex paucis apud Macrobium versibus evinci potest. Praeterea incertum est, auctori an Ma-

1) Saturn. II. 14.

crobio debeatur idyllii nomen; incertum etiam, plura idyllia scripserit Suevius, necne.

Sed Ausonii idyllia sententiam nostram mire confirmant. Exstant enim ejusdem poetae aliae etiam carminum collectiones, non tantum epigrammatum aut epistolarum, sed talium etiam, quae aut parentes Ausonii, aut praeceptores Burdigalenses, aut imperatores Romanos, aut urbes praecipuas celebrent; sed his omnibus idylliorum nomen non praefixit Ausonius: argumenti enim similitudo illud non patiebatur. Eadem est Eclogarii ratio. At Idylliorum ingens est varietas, sive argumentum spectes sive formam. Non igitur dubium est, quin a nostra parte stet Ausonius.

Claudianus vero nobis adversari videtur. Septem enim quae ille scripsit, idyllia res describunt mirificas et memoratu dignas e. c. Phoenicem avem, Nilum, statuam quandam, similia; favere igitur eorum opinioni videntur, qui idyllium picturam esse contendunt. Verum enim vero ut illud omittam, hoc certe sensu idyllia Theocriti exstare nulla, si haec Claudiani carmina cum ipsius epigrammatis, quae idyllia ordine excipiunt, comparaveris, facile tibi persuadebis, idyllium huic quidem poetae esse epigramma latius extensum magisque explicitum. Certe non casu evenisse crediderim, quod postrema duo idyllia, elegiaco, quo scripta sunt, metro quasi aditum ad epigrammata patefaciant; priora vero epigrammata in iisdem fere atque idyllia rebus occupata illa, minore, quamvis vulgares epigrammatis fines excedente ambitu vix ab idylliis distingui queant. Illud potius casui tribuendum esse puto, quod Claudiani idyllia in describendis rebus versantur. Diversissimae sane sunt eae res, quas illa describunt; nec dubito, quin major etiam eorum varietas futura fuisset, si plura idyllia componere Claudiano placuisset.

§. 3.

Num idyllia sint carmina bucolica.

Ex iis, quae hucusque disputavimus, apparet, in nomine εἰδύλλιον non inesse bucolici carminis notionem. Atqui satis constat, Theocritum, Bionem, Moschum circumferri bucolicorum auctores, immo nostris hominibus idyllia omnino videri carmina bucolica. Quaeras igitur, quo pacto hoc fieri potuerit et quando in alteram illam significationem abierit nomen εἰδύλλιον. Responsionem nos altius repetere oportet.

Postquam fracta libertate, moribusque depravatis studium etiam rerum publicarum per totam Graeciam fere exstinctum esset

et verus patriae amor elanguisset, poesis Graecorum cum reliquis literis exarescere coepit et extenuari, quippe praecisis fontibus, unde felicissima ceperat incrementa. Formae tantum poetae exinde operam navabant, neque ornatum eum appetebant, qui argumentum grave deceret, sed posthabitis rebus et sententiis delicias sectabantur et in nugas delabebantur. Doctrinae multiplicis laude et imitandi artificio quam ingenii fecunditate et inventionis proprietate inclarescere malebant. Accedebat, quod aliis hominibus carmina sua scribebant et probari volebant illius aevi poetae, Ptolemaeis dico, aulaeque regiae, urbi denique, quam incoleret orbis universi colluvies.

Ea erat literarum Graecarum ratio, quum Theocritus ad carmina pangenda se accingeret, quem in Alexandrinis numerare liceret, etiamsi Alexandriam non vidisset [1]). Ad virorum enim, qui in ea urbe poeseos et eruditionis laude florebant, modum et exemplum se componebant, quicunque in eodem studiorum genere elaborabant. Quid igitur mirum, si, quae Alexandrinorum propria videntur, ea etiam in Siculo nostro deprehendimus? [2]) Quod certe in tot generibus elaboravit, illud in plerisque saeculi illius poetis animadverti licet et naturae rationique poeseos, qualem tum obtinuisse vidimus, consentaneum est.

Verum in hac poeseos ruina Theocritus novum genus invenit, quod a vita communi non plane alienum esset, quodque animos deliciarum taedio fere captos saniore oblectatione recrearet.

Carmina enim, quae Siculi pastores, et suo ipsorum ingenio, et coeli natura vitaeque genere invitati ex tempore fundebant, Theocritus imitari et severioribus legibus adstringere coepit [3]). Poesis enim illa pastoritia, quam spreverat Graecia bonarum artium splendore clara, rebus tunc in deterius prolapsis multorum oculos jam in se convertebat; et nativus ejus vividusque color in illa et rerum publicarum et vero literarum clade mirifice splenduisse

1) Non fugit Reinholdum, quantum adjumenti accederet periclitantibus Theocriti carminibus, si Alexandrinis ille accenseretur, quapropter eum ex illorum serie eximere conatur (p. 10). Verum e sequentibus, ni fallor, patebit, Theocritum „e fonte patriae linguae patriorumque morum puro et incorrupto hausisse“ non quidem „omnia“ multa tamen, neque vero sui aevi prorsus dissimilem esse.

2) Cf. Schlegel. Studien d. class. Alterth. II. p. 60. Matter sur l'ecole d'Alexandrie I. p 85. II. 14. sq. Heyne de genio Saeculi Ptolem. in Opusc. Academ. I. p. 81. sqq. Nachträge zu Sulzer Vol. I p. 326. seqq.

3) Accurata et fusiore hujus rei explicatione post Naekium (in prolusione supra laudata) supersedere possumus. Daphnin, Diomum, Stesichorum, quos tanquam carminis bucolici inventores laudant Diodorus Sic. Athenaeus et Aelianus, nihil moror.

videtur. Non igitur mirum est, ea potissimum Theocriti carmina, quae pastorum simplicitatem non sine judicio imitarentur, aequalium plausum prae ceteris tulisse. Similibus virtutibus sese commendabant illa ejusdem poemata, quae ad Sophronis fere exemplum hominum tenuiorum mores vitamque diligenter et ingeniose adumbrarent. Ab hoc carminum genere, non in scholae tenebris elucubrato, sed ad vitae veritatem composito, bucolici nomen accepit Theocritus; referebantur autem ad *βουκολικὰ* illa quoque poemata, quae coloribus saltem e rustica vita petitis uterentur. Adeo enim sibi placuisse videtur ille in hoc genere, ut aliis etiam argumentis, prorsus a vita pastoritia sejunctis stilo bucolico novam gratiam acquirere studeret [1]), praesertim quum intelligeret, poesin bucolicam, non certo quodam consilio adstrictam, sed ludi ingeniosi et elegantis terminis satis late patentibus descriptam, vel maximae non adversari varietati.

At Theocritum, quem bucolicorum primum declaravimus, eundem etiam ultimum fuisse contendimus. Bionem enim et Moschum ne mihi objiciant, quos ferri bucolicos probe scio. Sed amatorias nugas composuerunt illi et fabellas mythicas: bucolica, quod equidem sciam, nulla; neque id Mansonem, *τὸν μακαρίτην* fugerat, qui [2]) postquam contra Finkensteinium non in forma externa quaerendum esse *τὸ βουκολικὸν* defendisset, Bionis et Moschi bucolica carmina interiisse contenderet; in hoc certe cum adversario consentiens, argumenti vere bucolici nulla exstare utriusque carmina. Sed quis, quaeso, bucolicos nuncupavit illos? Scilicet Suidas auctor est, locupletissimus sane post duodecim aut plura saecula testis! Sed ipsi, inquiet forsitan aliquis, bucolicis se inserunt poetis. Namque Moschus Bionem in epitaphio v. 11 *βωκόλον* dicit, ejusque fistulam v. 52 (cf. v. 82) commemorat; denique se ipsum *ὠδᾶς βωκολικᾶς* non expertem dicit, quippe illius discipulum. Audio; sed liceat interrogare, quanam in re naturam bucolicae poeseos contineri ille crediderit. Ut interiisse illorum carmina vere bucolica mihi persuadeam, nunquam adducar; adeo enim reliquis id aetatis poematis natura sua praecellebant carmina pastoritia, ut lectores prae ceteris allexisse videantur. Sed quod scriptum plurimi lectores appetebant, illud exemplarium aucto numero ab interitu tutissimum erat. Mirum etiam est, inter tot fragmenta librorum deperditorum reperiri nullum, quod e Bionis aut Moschi *βουκολιασμῷ* decerptum appareat. Itaque ex parte saltem, puto, auctor Are-

1) Idem a nostratibus, v. c. Vossio et Hebelio successu prosperrimo factum esse constat. 2) In Prolegg. ad Bion. et Mosch. p. 40.

thusae vernaculae, verum vidit. Sicilissitant enim carmina illa, ut Plautino verbo utar, sive dialectum spectes[1]) et dicendi genus, sive figuras et imagines, sive mythos etiam et locorum situm. Atque hoc sensu se ipsi bucolicos dicere poterant. Sed quum Theocritus in plerisque carminibus, etiam si non essent argumenti bucolici, colorem certe bucolicum servasset, quumque eundem illum colorem Bion et Moschus ubique affectassent, facile intelligitur, idyllii nomen fere in alteram illam carminis bucolici significationem abire potuisse; id quod temporum decursu factum esse apparet.

Nec tamen proxima aetate [2]). Virgilius enim eclogas inscripsit carmina sua bucolica, siquidem ab ipso nomen profectum est; certe idyllii nomine abstinuit; abstinuerunt eodem Calpurnius et Nemesianus, quos tanto post Virgilium intervallo primos et solos bucolicae poesi operam navasse jure miramur. Renascentes autem literae incredibile bucolici generis studium excitarunt, cultum illud a viris clarissimis, Petrarcha, Boccaccio, Pontano, Mantuano, aliis, ut XXXVIII poetarum carmina CLVI bucolica anno MDXLVI ederet Oporinus. Primus autem, si recte memini, Eobanus Hessus idyllii nomen ad bucolicum carmen transtulit; et post eum Bruno Seidelius, uterque natione Germanus; quorum exemplum secuti sunt recentiores. Notatu tamen dignissimum, per Italiam hodieque eclogae et idyllii nomina hoc discrimine perpetuo usurpari, ut eclogae eodem metri genere, idyllia versibus variis composita carmina dicantur. Varietatis igitur notio in hoc vocabulo non plane abolita esse videtur.

§. 4.

Quam vim ea, quae hucusque sunt disputata, ad carminum Theocriti integritatem defendendam habeant.

Interposita codicum fide ac testibus pro re nostra excitatis plurimis, magnamque partem sat locupletibus, denique literarum eo aevo, quo floruit Theocritus, ratione et bucolici carminis

---

1) Quantum ad dialectum, etiam Theocrito *βουκολικωτέρους* dixerim, qui quamvis rarissime Siculum exuisse videatur. Moschus poesin suam Doricam dicit aliquoties III. 12. 18. 103. 128.

2) In Prolegg. Graecis ad Theocr. legimus: *εἰδύλλια βουκολικά* Auctor igitur speciem a genere distinguit et significat, esse alia etiam idyllia, non bucolica.

natura explicatis id certe nobis videmur assecuti, ut ad falsas leges saepe provocasse judices appareat, quorum sententiis magnam idylliorum partem obelo confossam videmus. Neque enim ex idyllii nomine, neque e carminum varietate et discrepantia amplius argumenta peti poterunt ad damnanda Theocriti carmina non bucolica. Quapropter carmen XVI, quod Gerhardus (Lectt. Apollon. p. 213) tanquam de tripode damnat, praesertim post Passovium V. Cl. ne verbo quidem defendam. Nec Wartoni contra id. XVIII suspicionem, haustam e vers. 48, ut refutem opus esse videtur, ne Schwebelii etiam ineptum somnium de imitatione Cantici Canticorum refellere cogar [1]). Non magis dubito *Κηριοκλέπτην* aut *Παιδικά* nostro tribuere. Porro argumenti saltem causa non amplius damnabimus *Ἄτην*, neque carmina illa duo de Hercule (XXIV et XXV) vel Bacchas. Quinimmo postremum illud in Adonin carmen, Anacreonteo more scriptum ut Theocrito abjudicemus, nihil nunc cogere videtur. Sed nondum, quam suscepimus causam, peregimus. Alia enim crimina conferunt tum in reliqua carmina, quae hic non attigimus, tum in illa ipsa, quibus auxilium in proxime praecedentibus ferre conabamur.

B.

De indiciis, quibus Viri docti carmina vere Theocritea a suppositiciis discerni jusserunt.

§. 1.

Praecepta quaedam universalia.

Reinholdus, nam cum eo hic praecipue agendum erit, XVIII priora idyllia in antiquissimis codd. fuisse sibi persuasit; ideoque ea praeter XII et XVII genuina declarat. Ad XVIII enim carmina exstare scholia vetusta, eademque etiam in editione principe esse simul in lucem emissa. Verum ut taceam, rarissimos esse codices, qui nec plura nec pauciora quam XVIII idyllia, eademque illa, quae editio princeps, contineant, silentio etiam

1) Ex Orientalium imitatione multa in Theocrito esse explicanda post Staeudlinum et alios contendit etiam Augusti V. Cl. in prooemio ind. lectt. aestiv. 1820 „sed non ego credulus illis".

ut praetermittam scholiorum auctoritatem, quam qui tribuunt illis, acerbe perstrinxit Spohnius [1]): codice, quem sibi finxit Reinholdus, antiquo illo tam parum confisus est ipse, ut duobus carminibus, XII et XVII, quae ille agnosceret, notam inureret, unum contra carmen genuinum ex illo genuinorum canone exulare fateretur. — Idem ad Virgilium provocat, qui genuina Theocriti idyllia sit imitatus. At quo jure spuria judicabimus ea carmina, quorum ab imitatione abstinuit Virgilius? Nullum ille locum e carmm. XIV et XV, procul dubio genuinis, in usum suum convertit. Quam vero proposuit Reinholdus hujus rei excusationem (p. 40), eandem cur aliis carminibus impertiri noluit, quae magis etiam essent a Virgilii consilio aliena? Vereor etiam, ut recte negaverit abesse a Virgilio posteriorum Theocriti carminum imitationem; non enim dubium quin Eclog. II. 18 ille expresserit locum Theocriteum XXIII. 28 seq. (non vero X. 28). Confer praeterea Eclog. II. v. 56 et Idyll. XX. 3. Eclog VIII. 101 seqq. et Id. XXIV. 91 seqq. Eclog. VIII. 23 et Id. XXVII. 57. Eclog. V. 60 et Id. XXIV. 84. Etiam idyllii XVII, quod damnat Reinholdus, initium respexisse videtur Virgilius Ecl. III. 59.

Verum Reinholdus omnino ea carmina Theocrito abjudicanda esse sibi persuasit, quae aut colorem prae se ferant ab illis idylliis, quae ipse habet genuina, alienum; aut ad genus aliud *sint* referenda; aut dialecto non Dorica sint scripta; mediocria denique et male facta (p. 44). De generibus poeseos Theocriteae satis mihi videor in prioribus disputasse. Non probavit ille, nec quisquam probare poterit, Theocritum intra bucolicae poeseos terminos substitisse, quos justo etiam angustius contrahere solent. Cur, quaeso, statuendum putemus, quod Siculam ille poesin sectatus sit, eidem alias causas alia ratione tractare non licuisse? Scilicet Theocrito carmina non bucolica derogari jubent, quod bucolicus tantum poeta sit; sed bucolicum tantum esse eum dicunt inde patere, quod adulterina sint reliqua ejus carmina! Hac profecto argumentatione mimica etiam carmina omnia Theocrito denegari potuissent. Neque tamen sibi constitit Reinholdus, qui non tantum XXVIII carmen genuinum declaraverit, minime illud bucolicum aut mimicum, et versibus Sapphicis compositum, sed etiam duodevicesimum, non audito Wartono, agnoverit, epithalamium mere lyricum et a genere bucolico remotissimum. Attamen *Παιδικά* et *Κηρωπλέπτης* an sint Theocriti, dubitat idem; non enim reputasse videtur, Ste-

1) Lect. Theocr. I. p. 8.

sichori, poetae Siculi vestigia Theocritum non minus in *Παιδικοῖς* quam in illo Hymenaeo premere potuisse. Neque tricesimum carmen, *εἰς νεκρὸν Ἄδωνιν* damnare ille debebat, Anacreonticum quidem, sed non Anacreontis, quod vel e Dorica, qua scriptum est, dialecto intelligitur. Causam, cur rarius in codicibus reperiatur, in ipsius natura positam esse credo.

§. 2.

De dialecto Theocriti.

Sed callide accusator iste plures criminum locos indicavit, ut aliquo saltem nomine reus damnari posset. Dialecto enim in nonnullis carminibus ab argumento tutis prodi fraudem dicit, quum Dorica dialecto Theocritum usum esse constet; itaque spuria esse carmina, quae Ionicas formas contineant, praesertim XII.

Quid verò, si Theocritum Ionica dialecto composuisse *Αἴτην* contendamus? Hoc ab Alexandrinae disciplinae poetis non alienum fuisse sponte intelligitur, et Callimachi luculentum comprobat exemplum [1]). Nihil magis consentaneum est illi poeseos generi, quod a republica vitaqua communi sejunctum doctae imitationis laudem unice sectabatur. Quid ni Theocrito, quem Aeolica etiam dialecto usum esse id. XXVIII doceat, in carmm. XII et XXII Ionicam indulgeamus?

At in id. XII Ionicas formas, a codicibus fere alienas, editores demum intulerunt, moti haud dubie praescriptione codicis Florentini *Ἰακόν, τῇ κοινῇ Ἰάδι*; cui non multum tribuendum esse censeo. Grammatici enim, sicubi in carmine aliquo Ionicas formas, vel paucissimas deprehendunt, ad Ionicam illud dialectum referunt, aut dubitant saltem, *Ἰάδι ἢ Δωρίδι* scriptum sit. Equidem non miror, Theocritum, ubi argumenti natura epicum colorem flagitare videretur, ad Homericas figuras et sermonem Homericum confugisse. Ex illo enim fonte limpidissimo et uberrimo cujusvis generis poetae hortulos suos irrigare solebant.

Hoc igitur nomine non patiar damnari carmm. XXII, XXIV, XXV, tanquam *Ἰωνικώτερα*, neque XXIX [2]), duodetri-

1) Neque minus et Meleager et alii supparis aetatis epigrammatum conditores perpetuo inter Ionismos et Dorismos fluctuant.

2) Thierschii (Spec. ed Symp. Plat.), vel potius Phil Wehnerti opinionem (v. Frid. Jacobsium ad Theocr. XXIX, 1.) hoc carmen plaudentibus Schneidero Saxone, Heindorfio et Boeckhio ad Alcaeum deferentis post Mathiaeum (Progr. schol. Altenburgi 1825) et Hermannum

cesimo certe non *Αἰολικώτερον*, neque omnino dialecto quidquam dijudicari posse arbitror, praesertim quum etiam in carminibus vere bucolicis codices saepissime Ionicas formas praeferant neque ullum exstet idyllium, quod puri et absoluti Dorismi instar haberi possit [1]). Quin e regionum urbiumque Graecarum idiomatis vocabula et dictiones repetiit Theocritus, non tantum in carmine XII (v. 13. 14) sed etiam in *'Αδωνιαζούσαις* [2]) quod eorum causa moneo, qui forte propter illorum verborum usum novis maculis *'Αΐτην* aspergere velint.

Sed Reinholdus, Theocritum non exspatiatum esse in campos ampliores et varie consitos probaturus, ad epigramma provocat, quod incipit a verbis *'Αλλος ὁ Χῖος κ. τ. λ* (vulgo XXII), cui nimium quantum tribuit ille, quum Theocriti illud esse non probabile sit. Codices enim aut dubitant, ipsiusne an alius in illum sit, aut diserte ad Artemidorum referunt; et huic quidem sententiae plerique criticorum adstipulantur, Valkenarius, Brunckius, Harlesius, Jacobsius, alii. Neque dubitasset auctor vitae Theocriti, Graece scriptae, quisquis ille fuit, Simichidae an Praxagorae filius ille fuerit, si Theocriti esse illud epigramma constitisset. Quid autem Artemidorus de Musa Theocritea senserit, non multum interest; neque tamen ultimus epigrammatis versus: *Μοῦσαν δ' ὀθνείην οὔποτ' ἐφελκυσάμην* iis repugnat, quae de poeseos Theocriteae vi et ambitu in superioribus disputavimus.

§. 3.

De colore tractationis.

Sed vix ullum Theocriti carmen vehementius urgetur quam duodecimum illud, bis jam a nobis tractatum. Colo-

---

(ad Vig. p. 925) non examinabo. Ceterum eo, quod pauca tantum Aeolicae dialecti vestigia in hoc carmine comparent, mirifice confirmari videntur ea, quae de Theocrito, aliorum poetarum imitatore, disputavimus. Sui enim nusquam plane dissimilis, ubi alienum exemplum exprimere voluit, alienae dialecti formas aliquas aspergere satis habuit. Prorsus similis est Dorismi in tragicis chori canticis ratio.

1) Errant, mea sententia, illi Theocriti editores, qui codd. reluctantibus ad Dorismum revocarunt ejus idyllia; est in hac re judicium plane penes codd.

2) Neque in muliercularum garrularum nugis, sed in hymno Adonidis v. 126; non enim dubium, quin illa verba *μαλακώτεροι ὕπνω* ex ore Milesiorum et Samiorum petita sint. Cf. Casaub. ad Athen. p. 197. B. laudante Valcken. ad Adoniaz. p. 406. B.

rem enim etiam diversum in eo reperisse sibi visi sunt post Heinsium nonnulli. De bucolicis et mimicis concedam; de lyricis nunquam consentiam, sed Dahlio potius adstipulabor, qui eandem quam in carmm. XVIII. XXVIII et XXIX dulcedinem lyricam in hoc carmine agnoscit [1]). Sed de hac coloris diversitate nunc pluribus agendum est. Reinholdus enim spuria judicavit nonnulla poemata argumenti procul dubio bucolici, XX dico, XXIII et XXVII. Atque XXIII, quantum equidem memini, unus Reinholdus damnavit; Reiskius enim ad v. 16 dubitat tantum [2]). Ille vero in eo haud ingeniosi versificatoris opus, idyllii tertii vestigia prementis deprehendisse sibi videtur. At praeter illud, quod et in III et XXIII carmine amori non mutue respondetur, omnia in his duobus idylliis diversa sunt. Neque absonum est, hic fieri illud, quod in idyll. III et apud Virgilium minatur *ὁ δυσερώς*: *ἀπάγξασθαί με ποιήσεις*. Quod vero Amoris simulacrum in puerum fastidiosum corruens ipsum oppresserit, illud aliquando casu quodam evenire potuisse non incredibile est, nec desunt similes aliorum narratiunculae.

De venustate aut insulsitate carminis nihil dicam; sed ea, quae Reinholdus tanquam inepti et soloeci sermonis exempla protulit, accurate simul et brevissime examinanda videntur. Praetermitto vocem *πολύφιλτρος* v. 1, quod eum non offendisset, si eorum memor fuisset, quae Hermannus, Vir Clarissimus, ad Orph. p. 823 de vocabuli *φίλτρον* in seriorum scriptis significatione disputavit; mitto etiam *οὐκ ἔτι* v. 2, quod patet significare: ad formam bonam non accedebat insuper simile ingenium; — et *῾ροδόμαλον* v. 8, quod certe non audacius dictum est, quam *γλυκύμαλον* idyll. XI. 39 (*῾ροδόκισσος* ex idyll. V. 131 nolo in auxilium vocare, quum ibi de lectione non satis constet). Porro nihili prorsus faciendum est, quod *ἀμάρυγμα χείλεος* v. 7 et *ἄγρια χείλεα* v. 11 tanquam inusitate dicta vituperat Reinholdus; licet poetae nova proferre, modo recte et ad naturam accommodate sint dicta; *ἄγρια* autem dici posse *τὰ χείλη*, quae non solum oscula defugiant, sed ad contemptum et iram etiam sint composita, in patulo est; cf. Mosch. I. 11. *῾Αμάρυγμα* denique quum proprie de oculorum grato nitore dicatur, non inepte transtulit poeta ad

1) Laudibus idem prosequuntur etiam Koehlerus et Harlesius. Hemsterhusius (ad Lucian. I p. 253) ad Ionicum quidem sed suavissimum poetam carmen illud refert.

2) Defendit contra Manso, Nachträge zu Sulzer. I. p. 115 seq.

oris dulce ridentis venustam speciem, qualis describitur id. VII. 20. Miror autem Reinholdum dicere, augmenti omissionem pro serioris aetatis indicio habendam esse, quam singulae quaeque paginae Theocrito usitatissimam esse ostendunt. Cf. Id. I v. 59 *Ϸίγεν* v. 100 *ποταμείβετο*, II v. 70 *λιτάνευσεν* v. 82 *ἴδον* et sexcentos alios locos.

Neque *πικρὰ βέλη* v. 5. Reinholdum offendere debebant; post Buttmannum enim constat, *πικρὰ βέλη* esse sagittas acutas, quae alte penetrent.

Bene distinguuntur v. 6 *μῦϑοι* a *προσόδοισιν*; alterum enim ad quodvis confabulationis genus, etiam casu sibi obvenientium spectat, alterum ad accessum amanti non permissum. De imperfecto *ἦν* v. 4 consultius fuisset tacere; defendit hunc usum Schaeferus ad id. XIX. 8; conf. etiam Id. V. 79. Bion. XV. 4 et quos laudat Mathiaeus Gramm. gr. §. 505. 2. Temporum autem variatio poetis est usitatissima. Juvabit etiam conferre usum plusquamperfecti in Theocrito, v. c *πεφύκη* Id. XI. 1. V. 33. 93. *πεποίϑει* id. V. 28. *πεπόνϑης* Id. VII. 83. X. 1.

Neque forma *ὑποπτεύησι* locum praebeat suspicioni; recte enim Graefius conjunctivum positum esse docet; sed nec indicativi ea forma damnanda fuisset; non enim Aeolica tantum sed etiam Dorica Theocriti dialectus verba, quae pura nuncupantur, immo etiam *βαρύτονα* ad verborum in *μι* formam flectere solet, e. g. *ὄρημι* id. VI. 22 *νίκημι* ibid. 46. VII. 40. In Bacchilide *Ϸάλπησι* pro *Ϸάλπει* legitur fr. XXVI. ed. Neuii.

Reinholdus improbat etiam vocabulum *τῶν πυρσῶν* v. 7 nude positum de amore; injuria, puto; de amoris enim ignic u l i s ubivis fere loquuntur pastores in hisce idylliis e. g. III. 17. II. 134. VII. 56. 102 cet. Et Theocriti quidem temporibus translatam vocabuli significationem convenire negat quidem ille, sed argumentis non allatis negat.

Justo cupidius igitur sermonem carminis hujus vituperavit, nec quidquam video, quod Theocriti illud non esse sudeat.

At XXmi et XXVIImi idyllii causa longe facilius agi potest, licet cum pluribus adversariis decertandum sit. Et Reinholdus saltem fatetur, utrumque carmen lepidum esse et elegans, sed Doricum et vere Sicnlum saporem in illis desiderat. De vicesimo prius videamus. Heinsius, Valckenarius, Manso certatim ad Moschum illud retulerunt, Toupius cum Reiskio certe Theocrito derogavit. Sed Reiskium praetermittere satius est; urget enim ille (ad v. 17) vim verbi *λυποῖσα*, ab ipso in versum reluctante metro illati, confutatus a Toupio (in Addendis); sed hujus opinioni, qua Theocriti esse carmen

cum Heinsio propter scholion ad Id. VII. 19 negat, parum tribuendum esse judicavit Valkenarius, qui scholion illud ita corrigi jussit: *οὐκ εὖ* (pro *ἔτι*) *κέχρηται τῇ λέξει*; vix recte; errat enim cum Wakefieldio (Silv. crit. I. 47) si voci *σεσαρώς* plerumque adhaerere inimicorum affectuum notionem contendit. Ea primitus verbo non inest, quippe quod significet os diductum, ut dentes appareant, id quod ridendo etiam fieri solet (pariter Latini verbo ringi utuntur); saepe autem de risu dici hoc verbum locis allatis docuit Jacobsius ad Achill. Tat. 399. Cur igitur male usus sit eo Theocritus [1])? Sed retenta etiam lectione *οὐκέτι* non damnabit hoc carmen, qui reputaverit codicum Theocriti rationem eam, quam supra exposuimus. Aberat enim carmen nostrum a codice ejus, quicunque verba illa conscripsit.

Manso cum Heinsio ad Moschum referre mavult idyllium, de quo agimus, Valkenario (ad Roeverum p. 61 et in notis ad carmen ipsum) saltem dubitante; Eichstadius autem, qui in fine libri sui (Adumbratio quaestionis cet) severum exercet judicium, causisque non additis multa damnat idyllia, hoc nostrum cum XXVII ab ingeniosiore Theocriti imitatore profectum censet. Nimirum Theocriti Cyclopem imitatus esse videtur Mansoni, quisquis carmen composuit. At non magis equidem hic agnosco imitationem, quam in carm. XXIII; non enim, ut Galateam Polyphemus, amat bubulcus Eunicam meretriculam, sed osculari tantum quum eam velit, despicitur illi et contemptui habetur; sed singula persequi longum est. Illud vero mirum videtur, quod magna tertii et undecimi carminis similitudo suspiciosis illis hominibus non movit dubitationem [2]). Verum hoc accidere solet judicibus, qui praejudicata mente in transversum acti, damnare quam incorrupte judicare malunt. Quid, quaeso, naturae magis est consentaneum, quam in amoribus enarrandis praecipue versari ea carmina, quae pastorum a rebus publicis et a sensibus elatioribus alienorum mores adumbrent? Hic proprius bucolicae poeseos campus est; neque magnam illa varietatem admittere videtur. Aut enim spem et desiderium fovent amantes, aut voto potiti laetantur, aut crudelitalem perfidiamve amasiorum detestantur. Egregie haec confirmantur idylliorum ratione. Ut enim taceam cantantium pastorum certamina, a quibus amorum men-

1) Et utitur eo Theocritus eadem hac potestate Id. VII, 19.

2) Formae et tractationis magna est etiam in idyll. V et VIII similitudo.

tionem quamvis brevissimam non abesse videbis, novem idyllia quovis auctore genuina res amatorias tractant [1]), quorum pleraque cruciatus et dolores, quos procreat amor, non gaudia exprimunt. Modo enim ab amasio se desertam queritur puella (id. II) modo amatae perfidiam detestatur juvenis (id. XIV); amori se obniti simulat Cyclops (id. VI) at moritur eidem obluctando Daphnis (id. I); hic deformis puellae ardore punitur messoris (id. X) adversus amorem diuturna pervicacia; illic puerum amasium abreptum deplorat Hercules (id. XIII); mutuum denique amorem in pluribus idylliis (III. VII. XI) amantes frustra expetunt. Idem observari licet in bucolicis illis, quae in dubiorum numero habentur. Duodecimum enim miram amantis de reditu pueri laetitiam describit; XXVIImum autem furtivam venerem, puellae frustra cunctantis trepidationem, juvenis flagrantem cupidinem vivide repraesentat. Et obiter hic moneo, me hoc utrumque carmen vel ob id ipsum Theocrito vindicare, quod parum simile veri videtur, amoris laeti gaudia nunquam esse a poeta nostro exposita. Nolim tamen hoc argumentum in me retorqueri, quasi Theocritus omnes amoris affectus, quantacunque sit eorum diversitas, non vero eosdem saepius exposuerit. Licet enim in III, VII et XI idyllio planctus eorum, qui non habeant, quod sperent, contineantur, res similes tamen etiam carum. XX et XXIII tractantur.

Immo non mediocrem exinde laudem subnasci Theocrito crediderim, quod rerum dimilitudinem tractandi varietate distinguere didicerit. Non igitur damnandum est carmen vicesimum, quamvis simile non undecimo tantum, sed tertio etiam. Verum etiam si spurium esset, non tamen necesse esset, ut ad Moschum referretur. Mansonem ei hoc tribuisse non mirabitur, qui meminerit, quae de Moscho et Bione, bucolicae poeseos auctoribus deque eorum bucolicis deperditis Mansonis fuerit sententia. Non satis autem mirari possum eorum sagacitatem, quibus poetae veram manum ab imitatoris fraude dignoscere contigit. Hoc dolendum est, ejusmodi edicta auctoritate tantum judicum, non argumentorum gravitate taxari posse. Sed hisce in rebus non credam nisi convictus.

Moscho etiam carmen XXVII vindicare voluit Heinsius, quo sponsore suis Moschi editionibus inseruerunt Longopetraeus, Schwebelius, alii. Valckenarius non Theocriteum appellat (ad Roev. p. 29). Manso in secunda editione utrique, et Theo-

1) Id. I. II. III. VI. VII. X. XI. XIII. XIV.

crito et Moscho abjudicat. Wartonus denique Moscho etiam recentius esse arbitratur. His viris quum eadem fere opponi possint, quae ad carmen XX defendendum in medium protulimus, unum tantum hic attingam, ut appareat, quam lubrica via procedant ii, qui coloris diversitatem investigent. Wartonus enim in illo carmine praecipue simplicem severumque Theocriti leporem desiderat; at idem Moscho adscribere dubitat Manso, utpote simplicius et dramatica virtute a Moschi studio, singula coloribus vividis describendi alienum. Adeo igitur Moschum a Theocrito discernere contigit illis, ut tertio cuidam spatium inter utrumque relictum videamus, qui pariter distet ab utroque. — Simplicitatem quam in Ὀαριστύϊ desiderat Wartonus, in carmine XXV reperit ille. Quae ista sit simplicitas, alii videant. Quum enim in altero carmine, quod ipso Wartono teste oleat Odysseam, Hercules nobis exhibeatur coram Augiae filio certamen suum cum leone copiose et ornate referens, in altero juvenis cum puellae confabulatio amatoria, στιχομυθίᾳ comprehensa: vix dubium esse potest, utra in parte major sit simplicitas.

Omnino autem errant, qui in omnibus ejusdem poetae carminibus eundem colorem esse volunt. Non enim reputarunt illi, aliam efflagitari ab alio argumento tractationem, nec pariter omni tempore poetarum preces a Musis exaudiri, ὧν ἀπάνευθε χαλεπαὶ τελέθοντι ὁδοὶ ἀοιδοῖς, immo quandoque etiam bonum dormitare Homerum. Sed hac etiam injuria insigni Theocritum affecerunt, ut illis eum spoliarent poematis, quae tenerrimi affectus plena essent miramque spirarent dulcedinem, utque spoliatum illum alienum esse contenderent a suavitate molliore et gratis deliciis. Itaque quod ad colorem etiam attinet, eodem argumentandi circulo verturtur judices illi, quo eos circumagi supra vidimus, ubi de poeseos Theocriteae generibus disseruimus.

Sed Doricum et vere Siculum saporem in XX et XXVII idyllio desiderat Reinholdus. At illud certe utrique carmini concedendum est, quo ab Alexandrinis differre Theocritum ille contendit, non e schola et disciplina, verum e vita et patriae natura, lingua, moribus omnia in iis esse petita. Colloquuntur in utroque carmine pastores Dorica dialecto de rebus venereis, universe humanis, nec quidquam reperitur, quod ab illorum conditione sit alienum. Quod vero Reinholdus dicit, nihil ad certum locum et tempus referri posse, illud in aliis etiam idylliis obtinet v. c. in idyll. II. X. (XII.) XIV. Sed de bucolicis carminibus immerito suspectis hactenus: jam enim

ad aliud nos carminum genus convertamus. Videmus enim a mimicis Theocriti carminibus unum sejungi, XXI dico, de quo nunc dispiciemus. Et Reinholdus ideo damnavit, quod nihil habeat, quo lectoris animum alliciat et delectet; assentiente Gerhardo (Lectt. Apollon. p. 149), cui plura habere videtur, quae a Theocriti elegantia abhorreant. Reliquos taceo, nam Brodaeus, qui hoc carmen nonnullis spurium visum esse tradidit, nec qui fuerint illi, nec cur ita visum sit, indicavit; Zeunium autem Ahlwardtio [1]) permitto.

Sed de toto hoc genere aliter fortasse sentiremus, si Sophronis mimum aliquem superstitem legeremus. Namque si mimis ille suis vividissima et verissima hominum tenuiorum imitatione laudem acquirere voluit, id quod veri simillimum est, idem de Theocriti etiam mimicis idylliis statuendum erit [2]). Quis autem neget, carmen hoc nostrum hac certe virtute commendari? Et majus profecto pretium eidem addixerunt *illi* recentioris aevi poetae, qui in idyllio piscatorio ad illud exemplum certatim elaborarunt. Sermonis autem salebras in carmine corruptissimo librariis quam auctori imputare tutius erit. Certe rariorum vocabulorum e re piscatoria petitorum usum corruptelis pronum fuisse in aperto est.

§. 4.

De carminibus mediocribus aut male factis.

In superioribus nonnulla jam attigimus carmina, quae et aliis de causis suspecta et Theocrito non satis digna videbantur, *Αἴτην* dico, *Δυσερώτα* et *Ἁλιεῖς*. His igitur omissis illa nunc poematia tractabimus, quae vel maxime, quod exigui pretii videntur, damnari solent, et primo loco agemus de carm. XXVI, quod pessimum esse multi clamitant, adeo ut Reinholdus dicat graviter peccare in Theocriti nominis dignitatem, qui carmen turpissimis versibus consutum non repudiet. Idem damnant Harlesius, Jacobsius, Eichstadius, qui ridiculam comicotragoediam appellare non dubitat: Wartonus autem fluctuatur incertus, condemnetne an potius pro fragmento e nostri Heroinis venditet. Ecce Wartonum a mea parte stantem; non quod ego quoque Heroinarum *ἀποσπασμάτιον* agnoscam, sed quod ille, quamquam invitus fortasse, concessit, carmina

1) Zur Erklärung der Idyllen Theocrits.

2) De mimis, qui nostro obversari potuerint, vide Valckenar. ad Adoniaz. p. 525. 26.

Theocriti non bucolica non eodem modulo esse metienda. Quamvis enim ille benigna ingenii vena reliquos aetatis suae poetas superavit, magnam tamen laudis partem sibi deposcit et arrogat felix illa τῶν βουκολιασμῶν imitatio, quorum simplicem venustatem et leporem nativum in carmina sua transferre contigerit.

At in reliquis carminibus, quae non solum a bucolico et mimico genere, sed a Siculorum ingenio et moribus omnino sunt aliena, aetatis suae non dissimilem reperias, quae Wartoni etiam sententia fuisse videtur.

Nescimus etiam, quid Theocritum ad carmen XXVI componendum impulerit; nescimus, sponte hoc argumentum sibi elegerit necne; nam illud quidem constat, mercede conductos hujus aevi poetas ex mandato versus edolasse [1]). Equidem pro hymno in Dionysum carmen habuerim, motus praecipue posteriore ejus parte. Vereor etiam, ne nostris potius sensibus, quam veterum judicio carminis pretium taxaverint acerbi ejus vituperatores. Lusus enim verborum in v. 26 non tantopere movere debebat Harlesium, non ignarum, quoties talia sibi indulserint optimi quique scriptores [2]). Quod autem comicotragoediam carmen illud dicit Eichstadius, in tractatione comici nihil inesse video; res autem ipsa, cum vulgi superstitionibus ut quae maxime connexa et religione sacrata risum movere Graecis lectoribus haud potuisse videtur. Lenius etiam, puto, judicabit de hoc carmine, quisquis cum eo Callimachi hymnos contenderit, qui saepe risum ultro captare videntur. Conf. e. g. Hymn. Dian. 65 seqq. de Cyclopibus et Mercurio carbone oblito; v. 146 seqq. de Herculis voracitate etc.

Ab argumento et dialecto, quantum in nobis erat, tutum praestitimus Hymnum illum in Dioscuros, (nam hymnum non dubito cum Valckenar. et Jacobsio appellare carmen XXII, auctorem secutus Scholiast. ad Aristoph. Av. v. 711 et ad Plut. v. 210). Sed Eichstadius eum ab Alexandrino rhapsodo e pluribus carminum particulis inepte consutum ait, non dissentiente Reinholdo, qui praeterea posteriorem partem, qua Castoris cum Apharei filiis pugna describitur, priore longe inferiorem judicavit.

1) Non inepte conferas, quae id. XVI, noster de poetis, qui Antiochum et Scopam celebrarunt, dixit.

2) Vide sis praeter illos, quos laudat ipse Harlesius, Eurip. Troad. 999. 1000. Seidler. Lobeck ad Aj. 430; confer etiam ipsum Theocritum id. VII. 99. 100 aperte in verbis Ἀριστις — ἄριστος ludentem: neque minus venustus in Lyci cujusdam nomine est jocus id. XIV, 22. 24 sqq.

Jam vero non ideo saltem carmen damnare debebant isti, quod non una in re substitisset. Homericorum enim hymnorum illud proprium est [1]), hujus autem temporis ὑμνοποιοὶ varietate potius delectati esse videntur. Neque veri absimile est, ut imitatione maxime pollent hac aetate poetae, Theocritum, quum pangeret hoc idyllium, aliud in alia parte secutum esse exemplum, et disjecta membra non satis feliciter consuisse: sartorem autem Alexandrinum non agnosco; neque omnino credam, Alexandriae exercitum esse hoc opificium, antiquitatis Homericae proprium. Quis enim sibi persuadeat, non in remotissimi temporis tenebris, sed in urbis, eruditione et doctorum hominum frequentia florentissimae, luce quemquam diversorum scriptorum lacinias consarcinasse?

Neque aliena vestigia usquam deprehendi; nam versus 25 et 26 adeo cum proxime praecedentibus cohaerent, ut 24 et 25 itidem pro spuriis habendi essent, si illos ab aliena manu interpositos esse constaret. Sed quattuor hi versus aptissime nos a communibus Tyndaridarum laudibus ad singulorum praestantiam et virtutem celebrandam traducunt. Si quid igitur vituperandum, illud sane est, quod oratione ad Pollucem conversa deest exordium, neque rei narrandae summa breviter est indicata; idem in alterius partis initium cadit (v. 137). Quid vero, si hujus rei culpam in imitatione positam esse credamus? Etenim si minores illi hymni Homerici ab Homeridis prooemii loco praefixi sunt Iliados aut Odysseae particulis decantandis, qua de re non est ambigendum, nihil sane excogitari potest, quod ejusmodi rhapsodiae sit nostro hymno similius [2]). Et non mediocriter adjuvari videtur haec mea opinio aperta dictionis Homericae imitatione, quae vel in utriusque fabellae initio neminem latere potest; facileque cum mea Dahlii sententia conciliari potest, hymnum nostrum ad juvenile Theocriti aetatem referentis [3]). Quid? quod epilogus carminis cuivis in memoriam revocat Homericorum hymnorum clausulas usitatissimas, non diserta tantum Homeri mentione, sed sententiarum etiam, quamvis fusius expositarum similitudine.

---

1) Conf. Ilgen. ad Homer. Hymn. in Apoll. Del. p. 187 seqq.

2) Operae pretium est conferre hymnum in Dioscuros Homericum cum exordio nostri.

3) Post alia tamen compositum esse hoc carmen, patere videtur vers. 214 (ἀεὶ πέμποιτε).

Caeterum vix credibile est, ineptum rhapsodum, quem alienos pannos consuisse autumat, hosce versus postremos Harlesii etiam judicio elegantissimos excogitare potuisse.

Ad Reinholdi de posteriore narratiuncula judicium monuisse sufficiat, poetam, quum Lynceum ea dicentem exhiberet, quae nunc legimus, laude non vituperio dignum esse. Quis enim non videt, devitare quum ille quam attrectare pugnam mallet, utpote cum fortiore et Jovis filio ineundam, hac in trepidatione non mediocrem Castoris laudem inesse? Pugna vero ipsa ad Homeri exemplum adumbrata est; et profecto eodem jure contendat aliquis, Achillis virtutem non satis illustrari ab Homero, quippe cui opituletur Minerva, Hectorem eludens et decipiens, sicut in nostro hymno Polluci periclitanti Jovem adesse videmus. Nostri poetae in ejusmodi descriptionibus luxuriant, ut fortuna vario ludibrio certantium fortitudo clarescat, animique legentium suspensi teneantur: veterum autem incredibilis est in hisce rebus simplicitas.

Accedimus jam ad carmen XVII, quod Eichstadio Callimacheorum hymnorum tenuitatem aequare, jejunitatem superare videtur. Reiskius tamen Callimacho vindicaverat (ad v. 68) adstipulantibus Wartono et Ahlwardto; Mansonio (Nachträge zu Sulzer I. p. 113 seq.) stilum certe Callimachi referre videbatur. Sed Reiskium hic quoque satis mirari non possum. Quod enim carminis auctor aulae Ptolemaicae, ut ipsi videbatur, cliens et alumnus melius intellexisset aulicas artes, quam ut pulcherrimum locum regi suo blandiendi omitteret, pro *ὅσσον καὶ Ῥήναιαν*, scribendum ille conjecit *ἴσον Κυρηναίαν*; sed hoc *Κηρηναΐαν* (longa ultima) scribendum fuisset, quam formam versus non admittit. Hac ipsa tamen emendatione vel potius corruptela fretus Callimachi Cyrenaei, non Theocriti esse carmen suspicatus est. Sed hujusmodi nugis refutandis tempus terere non lubet. Ahlwardtius itidem blanditias perstringit, quas contineat hymnus noster, a quibus alienum fuisse Theocritum sibi persuasit. Callimachi potius hymnis stilo et tractatione simillimum esse hunc nostrum. At ejusdem Ptolemaei, cujus facinora vehementer exagitat Ahlwardtius, laudatio egregia inest in idyllio XIV, haud dubie genuino [1]); et in id. XV passim leguntur illius et sororis Arsinoae laudes. Aut igitur erat, quod in illo principe jure laudaretur, aut a blanditiis non abhorrebat Theocritus. Accedit, quod Theocritum verisimile est ea fuisse conditione, quae penuriae necessitudine

1) Conf. de hoc loco Spohnium in Lectt. Theocr. I. p. 4. 5.

adulationis horrorem superare cogeret. Civilibus enim turbis et periculis capitalibus patria expulsus principis opulentissimi tutela vehementer indiguisse videtur, quam nihil obstat quominus sibi eum hoc carmine parare voluisse putemus. Quinimmo Theocritum, quod erat saeculi ingenium, non plane reformidasse adulationem facile crediderim, facitque hujus rei fidem XVI ad Hieronem carmen. Quod autem illi minus prospère laudatio processit, non omnem quidem sed eam tamen laudum materiam defuisse crediderim, quae poetae impetum ultro excitaret; aliquam autem culpae partem ad nobile Theocriti et ab adulatione alienum ingenium retulerim; ut carminis vitia in liberaliore poetae indole fontem habuerint. Quid igitur mirum, si hoc in carmine Callimachum Theocritus nec vi poetica nec copia sententiarum superavit?

Neque tamen negandum est, paullo iniquius de nonnullis carminis locis judicasse harum rerum aestimatores. Singula quidem non pertractabo; longum enim foret; sed aliquas tamen criminationes diluere liceat.

Atque in plurimorum reprehensionem incurrit locus ille (v. 81 seqq.), quo ingens urbium in regno Ptolemaei numerus refertur. Eum nimium non putabimus post Reiskium, qui recte monuit, quemvis locum, ubi homines communione *aliqua* civili inter se juncti vivant, *πόλιν* dici. Neque ad historicam fidem exigenda est poetae auctoritas. Computationem ipsam aptam esse non dicam, sed nec ab hoc aevo alienam. Est enim in talibus ingeniosus lusus, quem verus etiam, non personatus (uti perhibent) Theocritus sibi indulsit XIV. 44 sqq.

Quae de opum usu sapiente et liberali protulit poeta, ea quominus vituperemus obstare videtur simillimus idyllii XVI locus (v. 23 seqq.). Quae enim hic facere praedicatur Ptolemaeus, ea ut omnes faciant, Theocritus in id. XVI aperte flagitat, praecipue vero, ut *Μουσάων ὑποφήταις* (quae verba in utroque carmine leguntur) digna praemia tribuantur, ne perpetuus eos urgeat sopor, careant quia vate sacro. Mire conspirare hos locos fateberis; neque tamen Callimachum Theocriti imitatorem fuisse verisimile est.

Non defendam Ptolemaei patris et Berenices apotheosin, quam non Theocriti adulatio sed pietas filii excogitavit; nec quaeram, meritone an secus Ptolemaeum laudaverit poeta tanquam bonum principem, quem in Siciliam redux factus nec praemii spe ulla motus celebravit in idyll. XV; silebo etiam locos, quibus se prodidit ingenium felix et benignum, quorum aliquos Dahlius indagavit; nihil denique morabor Ttetzae neptum somnium, Theocrito Chio carmen nostrum tribuentis;

sed iis, quae modo proposui, permotus pergam Syracusano nostro inscribere hoc idyllium, non perfectum quidem et omnibus numeris absolutum, quale Clodio visum est [1]), sed nec plane damnandum et spernendum.

Jam unum superest idyllium, quod et aliis de causis et quia indignus sit ingenio Theocriti fetus, damnari soleat, XXV dico; sed hujus cum XXIV^ti quamvis laudatissimi causa tam arcte est conjuncta, ut de utroque simul nunc agendum videatur.

Vicesimum quartum Theocrito derogarunt Reiskius, Valckenarius et Manso. Et Reiskius quidem p. 309 tam hoc carmen quam sequens Heracleae, quam composuit Pisander, fragmentum esse statuit; Valckenarius autem et Manso cum utroque conjungunt Moschi Megaram, quasi omnia e carmine quodam majore decerpta; et ille quidem ad quem auctorem ea referenda putaret, non indicavit; Manso autem Moscho tribuere non dubitavit. Sed gravissimus idyllii XXIV^ti, Wartono etiam probati, vindex exstitit Eichstadius, qui Mansonem etiam a sententia sua revocavit, docens, Alcmenae mores in Moschi carmine expressos aliquantum abhorrere ab iis, quos Theocriti ingenium ei tribuerit; nec Herculis in utroque carmine eandem nobis exhiberi imaginem [2]); errare igitur etiam Valckenarium, si ad eundem licet, a Moscho diversum auctorem omnia referret. Non minus feliciter Eichstadius Reiskii de Pisandro, carminum horum auctore, sententiam refellit. Unum tamen addam, quod miror ab Eichstadio praetermissum esse; etiamsi enim, teste Eratosthene, Pisander primus Herculem finxit pelle leonina indutum clavaque instructum, non tamen quaevis ad eum referenda sunt carmina, quae in hoc Herculis habitu conspirant, quorumque aetatem longe inferiorem lingua coarguit.

Denuo tamen post illum Reinholdus illud carmen lacessivit, non gravis sane adversarius. Quae enim ille de argumento epico, non bucolico, de Homeri imitatione, deque dialecto Ionica restituenda jactavit, haec omnia iis, quae in superioribus disputavimus, satis confutata videntur.

Valckenarii et Mansonis opiniones de Heracleae cujusdam fragmentis tribus recoluit Fr. Schlegelius [3]), ad Panyasin ea

1) Vide Manson. l. l. in nota p. 114.

2) Consentit Heinrich. in Prolegg. ad Hesiodi Scut. Herc. Nihil autem obstabat, quominus in id. XXV alium quam in id. XIII Herculis habitum proponeret Theocritus.

3) Geschichte d. Poësie der Griechen u. Römer p. 205.

referens. Sed carmini XXV Hermannus ad Orph. p. 691 docuit inesse multa, quae bucolicae, non epicae, et sequioris omnino aetatis sint peculiaria, quapropter non posse illud ad Panyasin referri. Idem e Moschi Megara etiam multa adnotavit, quae illud poema, quod Hermanno p. 760 vel Moscho recentius videtur, ad tempus eo antiquius retrudere vetent. Ita jam concidunt, quae Schlegelius de tribus Heracleae Panysiadeae fragmentis hallucinatus est, praesertim quum verum ejus fragmentum (Brunck. Analect. III. 329) aperte Ionica dialecto scriptum sit, quam in nostro carmine codices aspernantur.

Sed ne XXIV quidem carmen Panyasi licet tribui. Quae enim Hermannus in XXV idyllio invenit recentioris aetatis indicia, ea nec in illo desunt. E. g. vers. 5 *καλὸν* (licet hoc Hesiodi exemplo defendi possit, cf. Herm. Orph. p. 817) v. 18 *κυλίω*, serioribus tantum usitatum; *ὅπως* v. 23 pro *ὡς*; v. 34 correptio vocalis ante *πρ*; v. 35 ante *κν*; v. 43 ante *δρ*; v. 47 ante *πν*; v. 51 ante *χν*; v. 65 ante *χρ* etc.; productio propter arsin (non ante liquidam) v. 68; hiatus illicitus vv. 70. 71. 75; denique vocabula etiam et dictiones Theocrito usitata e. g. *νυκτὸς ἀωρί* v. 38 ut XI. 40; *ἀσπάλαθος* v. 87 et IV. 57; *ἐκ πατέρων* v. 105 et XVI. 33; confer etiam obtestationem Tiresiae v. 73 simillimam illi VI. 22; et lustrationem v. 86 seqq. cum idyll. II. — Non igitur dubium videtur, quin hoc carmen Theocrito cum Eustathio et Scholl. ad Pind. et Apollon. Rhod. restituendum sit. Quod si probavimus, de XXV^to etiam non amplius dubitari poterit. Certe nec Reiskium et Koeppenium morabimur, qui ad Pisandrum, nec Stollbergium, qui vel ad Hesiodi Scutum pertinere illud auguratur; neque Wartonum audiemus, qui, quum simplicitate Theocriti dignissimum visum esset idyllium, idem tamen Odysseam olere et Theocrito supposititum esse aliis locis contenderit.

Sed Eichstadius superest, qui cum Beckio pro rhapsodi Alexandrini opusculo carmen habendum esse non contendit tantum, sed probare etiam conatus est, plaudentibus Dahlio et Reinholdo. Et primum quidem illi assentior censenti, non integrum esse carmen, sed initio et fine mutilum; nec posse de partium apta concinnitate ex hoc fragmento quidquam statui. Sedulitatem autem auctoris in parergis diutius immorandi, quam castigat ille, non probo quidem, sed e bucolici poetae consuetudine repetendam esse et explicandam nullus dubito. Pellexerat eum haud dubie ad ejusmodi deverticula argumenti cum poesi bucolica cognatio, et accidit illi, quod pictoribus ac-

cidere solet, rerum tenuiorum veritati accuratissime exprimendae assuetis, ut etiam in ampliore et multiplici pictura, si quam forte delineandam susceperint, minutias illas nimia diligentia persequantur. Scires, Theocritum, Siculae Musae alumnum, adumbrasse illa. — Neque ob juncturam rerum diversarum importunam auctorem reprehenderim. Quum enim singularum carminis partium tituli, qui in codd. exstant, e. g. *Ἡρακλῆς πρὸς ἀγροῖκον*, *Αὐγείου κλῆρος*, *ἐπιπώλησις* etc. luculenter ostendant, decerptas particulas circumferri solitas esse, facile poterant exiguae illae narratiunculae truncari, ut postmodum male coirent lacerata corporis membra.

De Homeri imitatione aperta, quam carpit Valckenarius, nihil dicam; quem enim Stesichori, Sophronis, Anacreontis vestigia premere vidimus, eum in epicis Homeri sectatorem esse non mirabimur. Ita vero illum est imitatus, ut, sive dialectum spectes, sive colorem orationis, poeseos patriae non plane immemorem eum fuisse intelligas. Unum igitur superest, quod suspicionem movere possit, linguae et metri ratio, quam Dawesio [1]) adeo videmus displicuisse, ut vel a Callimacho vel a nebulone aliquo, Graecae neque linguae neque prosodiae sciente, scriptum carmen perhibeat. Acutum profecto judicium, quo Callimachum Graece nesciisse haud profecto recte significatur [2]). Sed videamus, quae minus probentur criticis.

Eichstadius ipse non multum tribuit illorum vocabulorum usui, quae carminis auctor aut primus aut solus usurpavit; recte, nam et alia exstant in genuinis carminibus Theocrito peculiaria (conf. Sturz Graec. ling. dialect. p. 380) et aetatis suae colorem duxisse eum consentaneum est. Hoc etiam reputent ii, qui de grammatica carminis ratione quaestionem recte instituere volunt. Cupidius autem quam rectius Eichstadius perstrinxit particulam *ὡσείπερ* v. 163 pro simplici *ὡς* positam. Posuit illud eodem modo auctor Hymni Cereris Homerici v. 215 et similiter *ὡσεί* usurpatum est Iliad. XVI. 59; neque origo hujus usus in obscuro est; mente enim repetebatur verbum e prioribus, sed sensim in oblivionem abiit vis primitiva, adeo ut cum participio etiam junctum *ὡσεί* reperiatur Hesiod. Scut. 189.

---

1) Miscellan. critica p. 102. 103. Conf. Burgess. in adnott. ad eum locum.

2) Eichstad. p. 38. not. 50 laudat eos, qui carmen Callimachi non esse docuerunt.

Non rectius vituperavit εἰς ἅλις v. 17. et σύναμα v. 126, conf. Sturz de dial. Maced. et Alex. p. 210 Lobeck. ad Phryn. p. 48, unde apparebit, grammaticorum, quae jactat Eichstadius, praecepta dicendi usu abunde confutari.

Quod denique ille contendit, pronominum σφέτερος v. 163 et σφωΐτερος v. 55 usu insolito rem confici, gratum id nobis esse posset, quod Theocritum recte a nobis in Alexandrinorum numerum relatum esse probaret; sed tantum abest, ut usus ille Alexandrinorum demum sit proprius, ut in ordinem potius coegisse errantes hac in re poetas Aristarchus videatur [1]). Verum neque ob ea, quae in hoc pronominum usu novasse videtur Theocritus, siquidem quidquam novavit, adeo reprehendendum eum esse puto. Licet enim σφέτερος pro ἐμὸς dixerit, non major ea est audacia, quam auctoris Prooemii in Hesiodi Opera et Dies non Hesiodei, sed Wolfio etiam sponsore sat vetusti, et Apollonii Rhodii IV. 1327; iis enim σφέτερος est v e s t e r (conf. Theocrit. XXII. 67); et ad singularem numerum retulerunt Hesiodus et Pindarus [2]), quos sequitur Callimachus Hymn. in Delum v. 233, ubi vide Spanhemium.

Sed haec de lingua hactenus. Quantum ad metrum, syllabam mediam in nomine κορύνη productam reprehendit Eichstadius, quam inde ab Euripideo aevo produci solitam esse docuit Passovius in lexico suo egregio; vide etiam Toup. Add. Et in hoc uno substitit ille.

Jejunitatem autem et tenuitatem si qui carmini exprobrant, illos in auxilium vocabo, qui carminis eximiam pulchritudinem satis mirari non possunt. Illud tantum adjiciam, carmina XXIV et XXV non majoris poematis fragmenta, sed prius illud cum Briggsio nec initio nec fine mutilum videri.

§. 5.

De carminibus ex parte adulterinis.

Jam tria supersunt carmina, VII, VIII et IX, quorum illud proprium esse dicunt, quod ex parte tantum sunt genuina. De illis igitur in calce seorsum agendum est. Ac de septimo quidem supersedebo Reiskii profligare sententiam, qui cum Wartono Simichidae non Theocriti esse carmen edixit. Ut enim taceam tot grammaticorum testimonia, quorum vix ullo de carmine

1) Conf. de pronomine σφέτερος Fr. A. Wolfium in Prolegg. ad Homer. p. 247 seqq. et adde Heinrich. ad Hesiod. Scut Herc. v. 90.
2) Conf. Heinrich. l. l.

plura reperiuntur, Reiskius hic quoque more suo sententiam conjectura inutili superstruxit. Mutato enim invitis codicibus v. 1 et 131 nomine *Εὔκριτος* in *Θεύκριτος* Theocriti carmen esse negavit. Et Simichidam, a Theocrito diversum illum, plane ignoramus; latere sub hoc nomine ipsum Theocritum colligi potest ex Arati, Simichidae amicissimi, mentione v. 98, coll. idyll. VI. 2. Quod qui intellexerant, aut patre Simichida natum Theocritum jactabant, aut a naso simo nomen inventum ferebant. Sed Praxagorae filium eum fuisse Artemidoro eo lubentius credo, quod intelligi non potest, cur ipsi Theocrito, hujus rei testi locupletissimo, fidem ille non habuerit, Simichidae aut Simichi se filium esse dicenti, et unde Praxagorae patris nomen acceperit, nisi hoc verum esse et antiquitus traditum statuimus. Alterum illud nomen non dubito quin ex hoc carmine petitum sit [1]). Non enim reputarunt, licuisse poetae ficto nomine se abdere, quem nusquam vero nomine appellatum reperimus. Non autem quaeram, cur illud nomen elegerit Theocritus, qui naso simo fuerit necne ignoramus, et veram certamque Theocriti imaginem non habemus. Bene nasutus exhibetur in ea saltem effigie, quam aere incisam proposuit Gronov. Antiquit. graec. III. cf. Schol. ad Idyll. III. 8.

Gravius illud videtur, quod ab homine Coo carmen profectum esse debere clamitant. Nec dubium est, quin erraverit Heinsius, quum in insulam Siciliam rem omnem transferret; scenam enim esse in insula Co bene monuit scholiastes. At idem tradit, in insula illa Theocritum commoratum esse, quum ad Ptolemaeum Alexandriam proficisceretur; constat etiam, illum Philetae Coi discipulum fuisse [2]), quo quum Ptolemaeus Philadelphus etiam praeceptore usus esset, suspicor, Theocritum ei juveni in patria innotuisse.

Verum quum sub Simichidae persona latere Theocritum intellexerimus, non credemus, alterum, qui in hoc carmine cum illo colloquitur, non esse personatum. Lycidam enim (ajunt non) fictum esse caprarium, sed poetam quendam Cydonium, sub vero nomine productum. Sed quis, quaero, ille est?

---

1) Vel hujus nominis usu prodere se videtur Syringis, quae fertur Theocriti, recentior aetas, licet Eustath. 21. 43 ad Theocritum referre videatur (laudat enim vocabulum *στήτη* tanquam Theocriteum, quod in Syringe tantum legitur); error inde ortus est, quod artificii illius auctor se Theocritum esse simulavit. Ceterum ob idem carmen insula Co Theocritum oriundum esse, male tradiderunt.

2) Conf. Manso. Prolegg. ad Bion. etc. p. 51.

Idem scilicet, quem Moschus in naenia de Bionis morte laudat v. 96. 97. At Musuri sunt, non Moschi, versus illi [1]) et celare fraudem suam Musuro tam parum curae fuit, ut ipsissima verba ex idyll. VII. surrepta palam usurparit [2]). Lycidam autem illum, qui est in Bionis carmm. IV et VII, ne quis mihi obtentet; nam in hoc Lycidas pastor est, cantandi arte pollens, qualis Thyrsis ille Theocriteus in id. I, et nomen aut fortuito inventum aut ex idyll. nostro petitum; in illo autem amasius, nomine Lycidas, intelligendus est. Apage igitur poetam Lycidam, quem ridiculum profecto fuisset si Theocritus tanquam caprarium, coagulum redolentem, cana pelle indutum, curvoque pedo armatum proposuisset. Non magis equidem in Lycida poetam aliquem agnosco, quam in Aristide v. 99, tantis laudibus celebrato, et versus, quos cantat ille, pariter Theocriti esse censeo, atque qui in id. VIII Daphnidi, celeberrimo illi inter Siculos pastores poetae, tribuuntur. Ex his autem facile intelligitur, cur a Passovio, praeceptore olim meritissimo et dilectissimo, dissentiendum videatur, qui Lycidae poetae carmen a Theocrito insertum idyllio suo hic deprehendisse sibi videtur [3]).

De idyllio VIII paragrapho priore agendum fuisset, nisi Beckium jam diu piguisse judicii sui [4]) mihi persuasissem. Etenim praeter grammaticorum diserta testimonia illud eum debebat ab hac sententia revocare, quod tot hujus carminis versus Virgilius mutuatus est. Sed Valckenarius (ad Roev. p. 13. 17) inde a versu 28 nonnulla inveniri dicit Theocrito minus digna. Hoc igitur de judicio juvenis Valckenarii pauca proferam et de universa tantum ratione; nec enim singulos versus omnes in Epistola ad Roeverum persecutus est Valckenarius et de multis postea sententiam ipse mutasse videtur. Offenderunt autem illum versus elegiaci, et pentametros spurios declaravit omnes (ad Roev. 15 initio et 16 fine). Sed erravit, si penitus ignotos vetustis grammaticis dixit; diserte enim laudat elegiacum hujus carminis metrum Draco Strat. 161, 23. Non mirum autem de eo nihil prodidisse grammaticos illos, qui de bucolicis versibus egerunt; nihil enim habent pentametri illi, quo a reliquis differant. Multa praeterea ex his ipsis tetrastichis in usus suos

1) Confer. pag. 9. 2) Conf. *ὄμματι μειδιόωντι* VII. 20 et *ὁ πρὶν μειδιόωντι σὺν ὄμματι* v. 97 Moschi (de eodem Lycida in utroque loco). *Τριοπίδας* Musurus mutuatus est ex id XVII 68. *Ἀλέντα* ex VII. 1. *καπυρὸν στόμα* ex id VII. 37. Conf. etiam Moschi qui fertur v 95 cum id. I. 72.

3) Vide Seebodii Archiv. II. 1. 180.

4) Observ. critico-exeget. p. V. p. VIII.

convertit Virgilius; nec intelligitur, quid tenebricosum aliquem sciolum impellere potuerit, ut probos Theocriti versus ad elegiacos numeros adstringendo tanquam alter Procrustes detruncaret.

De transpositionibus, quibus carmen emendare volunt Eichstadius, Bindemannus (in versione vernacula), Koehlerus (Notae et emendat. in Theocritum), alii, non dicam; recte enim perspecta carminis amoebaei ratione facile, puto, iis carebimus. Offendit autem interpretes, quod Menalcas puellae amatae meminit, Daphnis amasium laudavit, quem ipsum mox ad se invitet Menalcas. At haec non offendissent, si reputassent illi, in ejusmodi carminibus pleraque non ex ipsa cantantium vita esse petita, sed lusus et animi causa ultro fingi et excogitari. Conferri juvabit Virgilii Eclog. III, ubi Damoetas modo Galateae, modo Phyllidis amore gloriatur, quam et ipsam amare se dicit Menalcas. Ita Eclog. VII Corydon nunc Galateae, nunc Alexidis pueri amorem jactat; immo aliud etiam vitae genus pastores cantantes mentiuntur (Eclog. VII. 29 — 32) et anni tempestates fingunt (ib. 45 — 53).

Apte etiam sibi respondent in nostro carmine Menalcae et Daphnidis dicta; etiam illa vv. 49--52 et 53--56; ad postrema autem illius verba (57-60) quod nihil respondet Daphnis, illud ad lacunam statuendam impulit interpretes; sed idyll. V itidem Comatae, cujus primae sunt partes, nihil respondet Lacon.

Paucissimis jam de carmine nono, eoque ultimo agamus. Namque, ad exordium quod attinet, subsistendum puto in Finkensteinii et Kieslingii sententia, qui haec a pastore aliquo narrari omnia existiment, ut in Virg. Ecl. VII, in qua non magis quam in hoc Theocriteo indicatum est, cui et quando haec narrentur. De extrema vero carminis parte mea sententia haec est. Theocritus rem suam ita instituit, ut pastor, priusquam Daphnidis et Menalcae amoebaea proferret, alicui putandus sit affirmasse, illorum carminibus se quoque proprium quoddam carmen adjecisse; quod ut in memoriam revocent Musae precatur, ne is, qui haec audit, mendacii eum coarguere possit, (non igitur ejiciendus est v. 30.) neque tamen succurrit illud carmen. Simillimus igitur est locus ille Virgilianus Ecl. IX, v. 51 seq. quo se pariter carminum non meminisse dicit Moeris. Illud tamen non negabo, hoc nostrum idyllium plerisque longe inferius esse, ut non abnuerim, si quis juvenilis aetatis ingenium minus subactum in eo se prodere contendat. Et omnino recte Reiskius animadvertit, p. 200: „ab eodem homine, sed alias juvene, alias sene, scripta quaedam paene juratus ab eodem profecta neges esse" et p. 204: „aliter (poetarum) juvenilis levitas cecinit, aliter senilis infirmitas."

Index

scriptorum, qui Theocritum laudarunt.

(In hoc indice temporis ordinem, quantum fieri potuit, secutus sum; scholia Graeca quum plerumque non constet quo tempore scripta sint et cui debeantur, ultimo loco posui; uncinis inclusum adjeci versus laudati numerum; editiones, quarum paginae citantur, accuratius indicavi.)

Idyllium I. laudat

Apollonius Dyscolus de pronomine ed. Bekker p. 366. C. 2. (v. 5.)
Hermogenes, Ars rhetorica, edit. Genev. p. 389 (v. 1.)
Hesychius s. v. *αἰολικόν* (v. 56.)
Stobaeus Florileg. ed. Gaisf. 20, 23. (v. 15) 64, 9 (v. 100)
Draco Stratonic. de metris ed. Hermann. p. 11. 4 (v. 106) 16. 5 (v. 4) 38. 1 (v. 18) 40. 4 (v. 25) 42. 26 (v. 61) 61. 17 (v. 78) 67. 23. (v. 13) 71. 20 (v. 75) 89. 2 (v. 58) 105. 3 (v. 71) idem 52. 10 tanquam ex idyll. *α* laudat v. 190.
Etym. Magn. ed. Sylburg p. 28. 52 (v. 147) 93. 20 (v. 28) 235. 15 (v. 28) 330. 33 (v. 30) 412. 2 (v. 2) 639. 2 (v. 28)
Orion. Etym. ed. Sturz p. 31. 13 (v. 28)
Suidae lexic. s. vv. *ἀδύ*, *ἀπίτυς*, *τήνα* (v. 1), *ψιθυρίζει* (v. 2), *κυλοιδόων* (v. 38)
Ttetzes ad Hom. Iliad. ed. Herm. p. 62. 1. (v. 135)
Gregor. Corinth. Dialect. Dor. 49 (v. 4) 6 (v. 63) 7 (v. 65) 5 (v. 66) 8 (v. 67) 10 (v. 77) 11 (v. 80) 14 (v. 82) 15 (v. 88) 16 (v. 90) 102 (v. 149)
Eustath. ad Hom. Iliad. ed. Rom. 741. 48 (v. 87) 1206. 7 (v. 52) 1266. 47 et ad Odyss. 1895, 16 (v. 102) 1549. 4 (v. 150); — idem ad Dionys. Perieg. v. 350 (v. 118) v. 976 (v. 69)
Aldi Cornu Copiae p. 179. a (v. 4. et 25). 209. a (v, 1) 253. b (v. 66)
Schol. ad Aristoph. Nubes 1003 (v. 1) Vesp. 1478 (v. 97) Lysistr. v 473 (v. 38)
Schol. ad Nicandri Theriac. v. 625 (v. 30)

Idyllium II.

Athenaeus deipnos. XI. 475. e (totum carmen, Pharmaceutriam)
Aelianus hist. anim. XV. 19 (incertum est, utrum ad Id. II an XI alludant; de hoc equidem intelligere malim.)
Draco Strat. 40. 8. (v. 46) 40. 13 (v. 110) 54. 6. (v. 17) 63. 16. (v. 24.) 78. 12. (v. 33.) 82. 19 (v. 38.) 105. 5. (v. 35) 96. 20 tanquam ex id. *β* laudat v. 60.
Etym. Magn. 249. 12. (v. 14.) 250. 36. (v. 24.)
Eustath. ad Hom. Iliad. 624. 63. (v. 140.) 1186. 48. (v. 72.)

ad Odyss. 1392. 42 v. 62; Pharmaceutriae nomen laudat 1644. 34 (v. 135). 1767. 19 (ad. v. 10?) ad Dionys. Perieg. v. 1134 (v. 30).

Bekkeri Anecdota p. 64. *ἐκ τῶν Φρυνίχου* (v. 58.)

Scholia ad Aelium Aristidem. edit. Stephan. p. 318 (vers. intercal. *ἴυγξ κ. τ. λ.*)

Schol. ad Aristoph. Vesp. v. 1404. (v. 88.)

Idyllium III.

Apollon. Dyscol. de syntaxi p. 125, ed. Sylburg. (v. 19.)

Hermogenes p. 388. (v. 1.)

Stob. Flor. 63, 19. (v. 20, aut XXVII. 4.) 64, 23. (v. 15.)

Joannes Diaconus in scholiis ad Hesiodi Scutum v. 281, (v. 1.)

Draco Strat. 85. 1. (v. 8.) 87. 5. (v. 33.)

Etym. M. 73. 2. (alludit ad v. 45.) 215. 52. (v. 54.)

Tzetzes ad Lycophr. versum 558. (v. 5,) Chiliad. XII. 945. (v. 40.)

Gregor. Corinth. Dor. 75. (v. 12.) 83. (v. 28.) 84. (v. 47.) 67 (v. 48.) 73. (v. 53.)

Eustath. ad Hom. Iliad. 412. 42 (v. 32.) 675. 42 (v. 37 non nominato Theocrito) 1054. (v. 16.) 1162. 23. (v. 35.)

Thomas Magister, s. v. *μαστός*. (v. 16.)

Phavorinus lexicon s. v. *κορύψῃ* (v. 5.)

Schol. ad Apollon. Rhod. IV. 57. (v. 49.)

Idyllium IV.

Stob. Flor. 110, 15 (v. 41).

Drac. Strat. 14. 13 (v. 56) 34. 3 (v. 18) 44. 23 (v. 27) 58. 21 (v. 18) 84. 20 (v. 16) 98. 19 (v. 24).

Etym. Magn. 397. 52 (v. 28) 521. 23 (v. 62).

Orion Etym. 147. 16 (v. 63).

Suidas s. v. *Εὐρώς* (v. 28).

Tzetzes ad Hesiod. Opp. 96 v. 42). ad Lycophr. v. 856. 25 (v. 33 et 34) Chiliad. II. 580 (v. 33 — 37).

Gregor. Cor. Dor. 65 (v. 3) 67 (v. 4) 68 (v. 7) 69 (v. 12) 71 (v. 17) 86 (v. 21) 108 (v. 55).

Philemon gramm. ed. Osann. p. 123. fortasse alludit ad v. 45.

Eustath. ad Hom. Il. 790. 16 (v. 40) 1106. 28 v. 50 1332. 46 (v. 49.) ad Odyss. 1649. 57 (v. 23 1885. 22 (v. 58) 1963. 42 (v. 46).

Aldi Cornu Copiae 256 b. (v. 55)

Bekkeri Anecdota p. 1208. (v. 18.

Schol. ad Dionys. Perieg. v. 369 v. 33).

Schol. ad Pind. Olymp. I. v. 84 (v. 11.)

Idyllium V.

Apoll. Dysc. de pronom. 356. A. 5 (v. 39.

Herodianus in Aldi Cornu Cop. 211 B. (v. 119).

Draco Strat. 14. 15 fortasse alludit ad v. 3 in voce *ἀμνισσιάδες*; 61. 3 (v. 123) 63. 14 (v. 2) 72. 12 (v. 94) 78, 14 (v. 41) 81, 1 (v. 113) 91, 20 (v. 43).

Etym. M. 54, 27 (v. 14) 476. 29 (v. 119.)

Gregor. Cor. Dor. 72 (v. 10) 80 (v. 47.) 94 (v. 66.) 88 (v. 86) 97. 98 (v. 109).

Eustath. ad Hom. Il. 161. 46 (v. 22) 565. 12 (v. 89) 727. 13 (v. 87) 1348. (v. 26) ad Odyss. 1717. 16 (v. 64).
Schol. ad Nic. Ther. 193 (v. 27.
Schol. ad Dionys. Perieg. v. 416 (v. 16 et 124).

Idyllium VI.

Draco Strat. 23. 26 (v. 2).
Gregor. Cor. Dor. 78 (v. 46).
Eustath. ad Hom. Il. 30. 32 (v. 33) 395. 18 ad nomen *Δαμοίτας*. 633. 62 (v. 18).
Phavorinus s. v. *οἰσρεῖ* (v. 28).
Schol. ad Pind. Olymp. IV. 38.

Idyllium VII.

Apollonius Dysc. de pronom. 312. C, 5 (v. 2) de syntaxi p. 131 ed. Sylburg (v. 1)
Athenaeus II. 50. f (v. 146)
Synesius, Ep. 114 (v. 137)
Draco Strat. 30. 21 (v. 146) 48, 11 (v. 3) 61. 5 (v. 110) 72. 10 (v. 114) 87, 14 (v. 123) 88, 22 (v. 141) 97, 7 (v. 58) 101, 1 (v. 5) tanquam ex id. VII laudat vers. 54 p. 106, 4.
Suidas s. v. *βράβηλα* (v. 146)
Etym. M. 135. 12 (v. 26) 211, 3 (v. 146) et nomen *Λυκίδας ἢ Θαλύσια* 273. 41; ibi commemorat etiam Amaranti ad hoc carmen commentarios.
Tzetzes ad Hom. Iliad. 7. 16 (v. 47)
Gregor. Cor. Dor. 89 (v. 142) 90 (v. 147)
Eustath. ad Hom. Iliad. 125, 18 (v. 51) 309. 2 (v. 6) 746. 2 (v. 26) 1112. 35 (v. 135.) 1236. 4 (v. 14) 1824, 28 (v. 14). Ad Dionys. Per. v. 511 (v. 6)
Thomas Magister s. v. *κόρυδος* (v. 23)
Bekkeri Anecd. p. 1198 (v. 1)
Schol. ad Nic. Ther. v. 577 fortasse alludit ad v 16.
Schol. ad Dionys. Per. v. 221 (v. 114)

Idyllium VIII.

Stob. Flor. 78, 2 (v. 63)
Draco Strat. 146. 22 (v. 19. 22) 96. 18 tanquam ex id. VIII laudat v. 37. Idem metra elegiaca hujus carminis commemorat 161, 25.
Greg. Cor. Dor. 91. (v. 11) 92. (v. 91)
Eustath. ad Hom. Il. 1018, 24 (v. 87) ad Odyss. 1428. 21 (v. 93) 1625. 5 (v. 87). — Ad Dionys. Per. 121 (v. 58).

Idyllium IX.

Apoll. Dysc. de syntaxi p. 10 ed. Sylb. (v. 2) sed non nominato auctore.
Draco Strat. 54. 4 (v. 321).
Suidas s. v. *χόριον* (v. 19) sed non nominato Theocrito.
Gregor. Cor. Dor. 77 (v. 6)
Eustath. ad Hom. Il. 10. 6 (v. 36) quocum confer. ad Odyss. 1656. 27. 643. 33 (v. 30) ad Odyss. 1627. 30 (v. 3).

Idyllium X.

Stob. Flor. 16, 9 (v. 54).
Draco Strat. 12. 24 (v. 16) 24. 2 (v. 44) 28, 10 (v. 36) 61, 7 (v. 30) 77. 25 (v. 24).
Etym. M. 330. 53 (v. 51) 207. 31 (v. 57).
Orion Etym. 61. 1 sed omisso Theocriti nomine (v. 28).

Eustath. ad Hom. Il. 193. 34 (v. 21) 660. 18 utrum ad X. 1 an ad XXI. 3 pertineat, incertum est; confer etiam 952. 12.
Schol. Victor. ad Hom. Il. III. (v. 48).
Schol. ad Arist. Plut. 192. (v. 54.)

Idyllium XI.

Hephaestion ed. Gaisford p. 10 (v. 18).
Athenaeus lib. I. p. 5. a (v 58).
Aelianus fortasse alludit ad initium carminis; vide ad Id. II.
Stob. Flor. ed. Gesner p. 393 (v. 1 et 14) sed omisit Gaisford.
Drac. Strat. 32, 8 (v. 4).
Eustath. ad Hom. Il. 1285. fine (v. 43) ad Odyss. 1392. 35 (v. 32).

Idyllium XII.

Athenaeus II. 50. a (v. 3).
Julianus Ep. ad Liban. p. 374 ed. Spanh. et Misop. p 338 (v. 32) laudante Toup. in Add.; vide ad illum locum etiam Heyler. p. 178; idem Julianus nostrum respexisse videtur Toupio (ad Suid.) oratt. VIII. p. 244 (v. 15).
Stob. teste Valcken. ad Roev. 18 locum ex h. c. laudavit; sed frustra eum quaesivi.
Eustath. ad Hom. Odyss. 1679. 20 et 1867. 57 (v. 2).
Schol. ad Aristoph. Acharn. 753 (v. 27—29).

Idyllium XIII.

Stob. Flor. ed. Gesner 391 (v. 71) sed omisit Gaisford.
Draco Strat. 61. 11 (v. 41) 68. 2 (v. 20) 92. 6 (v. 21).
Etym M. 299. 17 (v. 42).
Gregor. Cor. Dor. 1. (v. 1.) 3 (v. 4).
Eustath. ad Hom. Il 197. 12 (v. 21) ad Odyss. 1429. 14 (v. 27) 1713. 7 (v. 23) ad Dionys. Per. v. 805.
Schol. ad Arist. Ran. 246 (v. 35).
Schol ad Apoll. Rhod. I. 1289 (v. 38.) I. 1236 (v. 43 seqq.)

Idyllium XIV.

Stob. Flor. 48, 11 (v. 60).
Draco Strat. 105. 16 tanquam ex id. XIV laudat v. 41.
Suidas s. v. ὅτι ῥ' ῥ' ὄν (v. 70).
Eustath. ad Hom. Il. 492. 41 (v. 69); quocum cf. 727. 26. 877. 10.) — 796. 59 (v. 9) — 812. 49 (v. 70) vide quos locos praeterea laudat Kiesl. ad h. l.

Idyllium XV.

Hermogenes p. 283 alludit ad v. 87 et 88.
Etym. M. 412, 51 (v. 81) 663, 29 (v. 1) 681. 53 (v. 90).
Gregor. Cor. 175 (v. 1) 176 (v. 3) 134 (v. 25) 137 (v. 42) 142 (v. 43) 138 (v. 58) 9 (v. 78) 139 (v. 82) 143 (v. 86) 145 (v. 93) 147 (v. 104).
Eustath. ad Hom. Il. 77. 11 (v. 45). 102. 2 (v. 76) 108. 19 (v. 20). 384. 21 (v. 101) 565. 28 (v. 13) 672. 60 (v. 8) 785. 55 (v. 125) 971 31 (v. 13), ad Odyss. 1553. 42 (v. 20) 1839. 55 (v. 1) neque nomen Ἀδωνιαζουσῶν ignorat. — Ad Dionys. Per. 823 (v. 125) 232 alludit ad v. 48
Aldi Cornu Cop. 257. a. (v. 58) itidem nomine Ἀδωνιαζουσῶν addito.
Schol. ad Aelium Aristidem p. 176 alludit ad v. 40.
Schol. ad Soph. Antig. v. 355 (v. 83).
Schol. ad Arist. Nubes v. 1128 laudantur Adoniazusae.

Idyllium XVI.

Hermogenes p. 452 (v. 44) ἐνχάριζι.

Hesychius s. v. πέτασθαι (v. 6).
Draco Strat. 30. 23 (v. 79) 66. 3 (v. 22) 103. 1 (v. 91) 54. 17 versum 17 tanquam ex id. XVI.
Eustath. ad Hom. Iliad. 75. 38 (v. 70) 421. 44 (v. 81) 455. 32 (v. 49) ad Odyss. 1774. 45 sed memoriae lapsu Herodoto locum tribuit; vide Koppiers; et eundem errorem invenies 688. 15.
Ad Dionys. Per. 1005 (v. 100).
Schol. ad Aelium Arist. p. 316. a (v. 100)

Idyllium XVII.
Schol. ad Pind. Olymp. II. 83 (v. 30).

Idyllium XVIII.
Draco Strat. 11, 14 (v. 36).
Schol ad Pind. Isthm. II. extr. (v. 48).

Idyllium XIX.
Stob. Flor. p. 390 integrum carmen exhibuit.
Draco Strat. 84. 5 (v. 2).

Idyllium XX, nusquam laudatum inveni; nam Longi (in Pastoral.) aperta nonnullorum locorum imitatio non magis quam Propertii (II. 25. 8) versus e nostri v. 41, ut Valckenario videtur, expressus ad rem nostram facit.

Idyllium XXI.
Draco Strat. 63. 13 (v. 67) sed nomine omisso.
Eustath. ad Hom. II. 660. 11 verisimilius est ad X. 1. quam ad hujus carm. v. 3 respexisse.

Idyllium XXII.
Suidas s. v. ἡττήθης laudat v. 72.
Etym. M. 285. 14 (v. 120) 324. 20 (v. 30. 31).
Eustath. ad Hom. Il. 61. 36 (v. 160) 62. 45 (v. 136) 621. 57 (v. 220). Ad Dionys. Per. 1055 (v. 37).
Philemon gramm. p. 123 (v. 136).
Schol. ad Aristoph. Aves v. 71 (v. 72) ad Plut. v. 210. commemorat Hymnum in Dioscuros.
Schol. ad Apoll. Rhod. I. 151 (v. 206) et universe ad fabulam de Amyco respicit ll. 8.

Idyllium XXIII. nusquam laudatum inveni.

Idyllium XXIV. Joannes Diaconus ad Hesiod. Scut. 86 Heinsio respicere videtur v. 1, vix puto.
Eustath. ad Hom. Iliad. 299. 13 (v. 105) 1163 fin. (v. 103) 1189 fin. (v. 118).
Schol. ad Pind. Nem. I. 53 (v. 2).
Schol. ad Apoll. Rhod. I. 1077 (v. 136).

Idyllium XXV. Draco Strat. 62. 23 (v. 211) 75. 16 (v. 30) 99. 4 (v. 5) tanquam ex idyll. XXII.

Idyllium XXVI. Eustath. ad Hom. Il. 691. 52 (v. 1).

Idyllium XXVII. Stobaeus Flor. utrum ad hujus carminis v. 4 an ad III. 20 alludat, incertum est. Apollonius Dysc. autem in Excerpt. p. 425, quem locum laudat Toupius Append. procul dubio ad Hom. Il. I. 114 non ad nostrum locum, quamvis simillimum (v. 42), respexit.

Idyllium XXVIII. grammatici non attigisse videntur.

Idyllium XXIX. Athenaeus II. 37. e fortasse alludit ad v. 1. sed non nominato Theocrito.
Eustath. ad Hom. II. 740. 14. eundem versum attigit, sed ille quoque omisso nomine auctoris.

Idyllum XXX non vidi a quoquam commemorari.

OCT 1 1885

Gt 14.434
Theocritus Theocriteus,
Widener Library
006933074
3 2044 085 171 544